4498aaa42

TRACTATUS

DE

VISITATIONE

INFIRMORUM,

SEU DE EIS

PAROCHORUM OFFICIIS,

QUÆ

INFIRMOS

ET

MORIBUNDOS

RESPICIUNT.

In Gratiam Juniorum, et in Visitandis Infirmis minùs Exercitatorum Editus.

Authore, JOHANNE STEARNE, S. T. D.

EDITIO NOVA.

LONDINI:

Prostant apud J. BIRD, in Vico dicto Ave Maria-Lane.

M DCC LXVIII.

BRITISH
MUSEUM

Verè Reverendo in CHRISTO Patri

ANTHONIO,

Providentiâ Divina

MIDENSI EPISCOPO,

Academiæ DUBLINIENSIS Vice-Cancellario,

ET

Regiæ Majeſtati à Secretioribus Conſiliis.

NOSTRUM hunc Tractatum publico uſui, dum ſcriberem, deſtinavi: at cum extrema ei acceſſiſſet manus, et mecum ipſe tum denuo reputarem, utrùm in lucem prodire paterer, an verò illi, intrà anguſtos Muſæi noſtri parietes, inter perituras chartas deliteſcere mandarem; mihi hæſitantem animum ſubierunt varia, quæ ad ſupprimendum me proniorem fecerunt. Fore enim præſenſi ut quam plurimi Lectores tractatum improbent, et acerrimis Cenſuris in authorem animadvertant — ut Hic, methodum minùs accuratam ſugillet; ut Ille, ſtylum carpat, et incurioſum verborum delectum dicteriis inſequatur; ut Alter noſtras faſtidiat Regulas, quòd tritæ fuerint, et cuivis obviæ; ut Alius aliquis mihi vitio

 vertat,

vertat, quòd temerariò ausus fim consilium adhibere eis, qui, quid in quoque casu faciendum sit, longè rectiùs quàm ego ipse noverunt; et denique, ut Alii me criminentur, quòd infensioribus Ecclesiæ nostræ inimicis ansam aliquam præbuerim, de publico visitandi officio minùs honorificè sentiendi et loquendi, cùm, ac si illud defectibus laboraret, novas alloquiorum precumque formulas præscriptis addendas et inferendas monuerim. Verum tristiora illa, malè ominantis animi, præsagia vicerunt tandem quæ illis in animo succesſerunt cogitationes; nimirum, quòd possint juniores, et in visitandis infirmis minùs exercitati, ex hoc Tractatu, qualiscunque sit, commodum aliquod non spernendum percipere; quòd satiùs sit, et longè consultiùs, faciles malè feriatorum censuras ferre, quàm præ earum metu, dignorum commodum negligere; et denique quòd speciosis istis criminationibus occurri possit et facillimè satisfieri. Atque equidem eis, qui methodum magis accuratam desiderant, nihil aliud reponendum censeo, quàm, quòd ipse Tractatus adeo brevis sit, ut possit intra unius et alterius horæ spatiolum universus perlegi; adeoque, quòd sine notabili temporis jacturâ reperiri possit, si quid loco non suo notatum fuerit. Styli negligentiam carpentibus, hoc unicè dicendum arbitror, nempe, quòd res tractata doceri contenta sit, nec ornari postulet: mihi enim satis putârim, si, tale nactus argumentum, mei animi sensa plenè et perspicuè exposuerim, licèt voces incu-

riosè

riosè delegerim, earumque aliquas præter elaboratas oratorum regulas interdum disposuerim. Si quis parvi fecerit quas dedi regulas, quòd tritæ illæ sint, et vulgaritèr notæ, sciat, velim, mihi in animo fuisse, non ut nova et inaudita docerem, sed ut lectori profutura in memoriam revocarem; me in votis non habuisse, ut curiosis placerem, sed ut cordatis prodessem. Si qui me temeritatis et audaciæ incusârint, quòd Fratribus meis Reverendis consilium dederim, quod illi nunquam rogarunt, quo illi neutiquam indigeant, in promptu est quod eis respondeam; scilicet, quòd hoc scriptum exarârim, et in publicum emiserim, non in usum eorum, qui assiduâ librorum lectione, frequenti meditatione, et multâ experientiâ arduam infirmos visitandi artem jam plenè didicerint; sed in gratiam juniorum, qui animarum curam in se nuperè susceperint, et in sacerdotali isto munere se parùm exercuerint; et quòd mihi penitùs persuasum sit, aliqua illis inter legendum occursura, quæ priùs ignorârint, quæ scire eos conveniat, quæque legisse illos nequaquam pœnitebit. Si qui demùm lectores fuerint, qui ideò hunc tractatulum improbârint, quòd (monendo Parochum ut novas alloquiorum et precum formulas paret, et præscriptis interdùm addat) non obscurè innuerim, Publicum illud Visitandi Officium, quod nobis ab Ecclesiâ præscribitur, mihi mutilum videri, et ex meâ saltem sententiâ necessariis destitui; satis mihi ad apologiam existimo dixisse, quòd semper, et

ex

ex animo optârim, ut illi, aliiſque omnibus Eccleſiæ noſtræ officiis ſuus honor illibatus conſervetur; quòd ei neutiquam obeſſe putem, ſi quis in caſibus rariùs occurrentibus alloquiorum aut precum formulas aliunde petierit; præſertim, cum juxta Conſtitutiones Eccleſiaſticas Anno Salutis 1603 * in Anglià ſtabilitas, et juxta Canones noſtros Eccleſiaſticos Dublinii concluſos et regiâ Authoritate munitos Anno 1634 Is ſolum *Qui non ſit Concionator* præſcriptæ alligetur formulæ, et *Ægroti animam in adverſo ipſius ſtatu ſalutari doctrinâ et conſolatione ſub forma in Libro publicæ Liturgiæ conceptâ erigere* teneatur. Illi autem, quicunque sit, cui permiſſum fuerit ad populum concionari, indulgeatur licentia officium illud exequendi *prout ipſi maximè videbitur expedire.* Neque equidem defectus loco ducendum eſt, quòd publica viſitandi formula non contineat, quæ innumeris infirmorum circumſtantiis quadrent, et per omnia reſpondeant; imò, ſatis illi ad perfectionem meritò putetur, quòd ea complectatur alloquia, eaſque preces, quæ fixis et uſitatioribus ægrotantium neceſſitatibus accomodari poſſint, et abundè ſufficere.

Hæc ſunt, *digniſſime Præſul*, quæ, ut à cenſuris ſupra recenſitis me liberarem, dicenda judicavi. Reſtat autem alia, à quâ mihi metuendum non immeritò ſentiam, cenſura, nempè eorum qui hoc me nomine reprehendent, quod Tibi,

* Vid. Can. Eccl. Angl. 67. Hibern. 41.

Tibi, magno apud omnes in honore, ob dignitates quas meritiſſimè tenes, majore, ob pietatem quâ primævis Eccleſiæ Patribus Tu æmulus puteris, ob ſummam tuam eruditionem qua vel doctiſſimis noſtri ævi Prælatis par ſaltem habearis; et ut complures taceam tui animi egregias dotes, ob prudentem illum Zelum, quo, pro aris et focis, pro Religione et temporali Proteſtantium bono, vel iniquiſſimis temporibus, fœlicitèr contenderis, quo acerrimos utriuſque hoſtes, graſſantia hominum vitia, ubique et præſertim in Diæcesi tuâ profligare ſemper conatus ſis, mihi ipſi inquam culpandus videor, quòd Tibi, cum talis fueris et tantus, hunc Tractatum adeo multis nominibus improbandum, et tuo indignum patrocinio dicare auſus ſim. Atque ut verum fatear, juſtæ huic reprehenſioni in auctarium jure optimo accedit, quòd multos jam annos de me optimè merueris. Fœlix certe illa vivendi ſors, quâ ut Tuæ Diæceſeos Preſbyter, Tuæque familiæ membrum jam diu potitus ſum, quotidiana illa beneficia, quibus me affeciſti, et frequentia illa munera, quibus (ut munificentiæ tuæ ſatisfieret) me, ea nec merentem quidem, nec optantem cumulaſti; Hæc, inquam, Tot, Tantaque Beneficia præſtantius aliquod, et dignius grati animi teſtimonium vendicant, quàm tenuem et exigui ponderis libellum: Et me meritò dedeceat repoſuiſſe ſcripta, quæ tantæ dignitati, tantiſque meritis tam malè reſpondeant. Quid itaque dicam? aut quo demùm modo effugiam reprehenſionem

ſionem, quam gravem pariter ac juſtam fore non invitus confiteor? mihi certè confugiendum erit ad Tuam illam Benevolentiam quam ipſe totiès et tam diù expertus ſum, quam alii, quotquot te intimè noverunt, ſummam eſſe vel inviti agnoſcent: In hâc ſpes omnis ſita eſt, atque hæc mihi fidem facit non fore ingratum, ſi huic tractatui ſummo indigenti patrocinio, ſummum, id eſt, Tuum ſupplicitèr implorârim; et ſi Tu illud lubenti animo ſuſceperis, non me ſollicitum habebit quòd minùs candidi Lectores in me ſeverius ſtatuerint.

Ut diù vivas, valeaſque Eccleſiæ Decus, et Academiæ noſtræ Ornamentum; et, ut tandem annorum, bonorumque operum plenus, ad fœlicem Sanctorum ſedem eveharis, Deo ſupplicant quàm plurimi, at nemo, aut ſæpiùs aut ardentiùs, quàm

Paternitatis tuæ humillimus Cultor,

Et Sacellanus tuus obſequentiſſimus,

JOHANNES STEARNE.

TRACTATUS
DE
VISITATIONE
INFIRMORUM;
SIVE DE IIS
PAROCHORUM OFFICIIS QUÆ INFIRMOS ET MORIBUNDOS RESPICIUNT.

QUI æquo animo perpenderit varia illa officia quæ Paſtori Evangelico incumbunt, vix ulla agnoſcet, aut magis neceſſaria, aut magis præſtitu difficilia, quam quæ infirmis impendi debeant. Hæc ſummam vendicant diligentiam, et maximam poſtulant prudentiam; et ſi illa fuerint aut omiſſa penitus, aut perfunctoriè et imprudenter præſtita, magnum inde ægrotantium animabus orietur periculum. Si itaque de hoc munere Sacerdotali fuſe diſſeruerim, eaque omnibus legenda exhibuerim, quæ ipſe huc ſpectantia, Ratio operis.

ex propriis meis obſervationibus, ac privatis, quæ cum aliis habui, colloquiis, et ex libris collegerim, operæ pretium mihi videor habiturus; præſertim cum nulla, quod ſciam, extet diſſertatio, qua poſſit aliquis, ut ut eam attentè legerit, ad id munus obeundum ſufficienter inſtrui. Nolim autem hoc dictum, quaſi juſtis aliorum laudibus quidpiam velim detractum, parvique æſtimem quod in hoc argumento præſtiterunt alii; eorum enim ſcriptis me plurimùm adjutum ſentio, et lubentiſſime agnoſco; neque ideo cenſerer polliceri juſtum, numeriſque omnibus abſolutum, opus. Id enim, etiamſi conarer, præſtare tamen ſupra vires novi.

Illius ſcopus. Scopus itaque ad quem collimo, non alius eſt, quam tales exhibere regulas, quales officio hoc fungentibus uſui eſſe poſſint; quæque junioribus ſaltem et inexpertis adjumentum aliquod non ſpernendum præbere queant; meque hunc finem aſſecuturum Dei auxilio nixus minime deſpero. Et quo Regulas quas uſui fore exiſtimo

timo methodicè diſponam, eas omnes reducam ad ſeptem claſſes, quarum, Dicendorum diſtributio in ſeptem claſſes.

Prima continebit regulas de iis, quæ paſtor prius debeat præſtare, quam ſe huic operi accinxerit. 1.

Secunda docebit ea quæ erga ipſos ægrotos, inter viſitandum, præſtare convenit. 2.

Tertia ea ſpectabit, quæ eos, qui ægrotis aſſident, monere oporteat. 3.

Quarta tradet regulas pro viſitatione eorum, qui paſtori parùm noti ſunt. 4.

Quinta aget de iis qui animis laborant, et anxiis diſtrahuntur cogitatibus. 5.

Sexta præbebit regulas pro viſitatione eorum, qui convaleſcere incipiunt. 6.

Septima aget de viſitatione eorum, qui ad perfectum rationis uſum nondum pervenerunt. Atque his addetur, 7.

Appendix de variis modis adducendi ægrotos ad agnitionem peccatorum, et ubi ea fuerit neceſſaria, ad eorum confeſſionem. Appendix eis addenda.

Regulæ ad primam Claſſem reducendæ.

1 Reg. Debet Parochus parare ſibi vitiorum catalogum, et quare.

QUI animarum curam in ſe ſuſceperit, habeat imprimis accuratum aliquem vitiorum catalogum; et juxta unumquodque vitium, ea notet ſacræ Scripturæ loca, quæ id expreſsè prohibent, eique minas denunciant. Hujus enim auxilio, facile erit ad viſitandum ægrotum accerſito, præcipua ægrotantis delicta in illius memoriam revocare, illumque eorum malitiæ, et periculorum ea conſequentium convincere. Et ut ille catalogus ſit uſui accommodatior, vitia omnia juxta varios hominum ſtatus ita diſtribuat, ut quæ cuique ſtatui ſunt maximè propria, ea uno poſſit intuitu luſtrare. Cùm enim unuſquiſque in ea vitia ſæpiſſime labatur, quæ vitæ ſuæ inſtituto præ aliis propria ſunt, æquum eſt ut poſſit Parochus, eorum apud unumquemque vitiorum mentionem facere, in quæ illum peculiaris vitæ conditio proniorem reddiderit.

Qualis eſſe debeat.

Optandum

Optandum eſſet, ſi tempora ferrent, ut unuſquiſque Parochus librum chartaceum ſibi compararet, in quo ſingula Parochianorum nomina ita inſcriberet, ut unum aut alterum folium unicuique familiæ integrum relinqueretur, et juxta uniuſcujuſque nomen ætatem notaret, & vitæ ſtatum, et quæcunque caſu aut inquiſitione privatâ de eo didicerit, ſeu laudem meruerint, ſeu digna fuerint vituperio: adnotaret etiam alia omnia quorum ſe meminiſſe è re Parochianorum fore judicaverit. Hac enim methodo ut eis, qui proſperâ fruuntur valetudine, prodeſſe poterit, tempeſtivis utendo correptionibus, et ad perſeverandum in pietate hortando; ita ad ægrotantem accedens, quæ ejus ſtatui convenientia erunt et congrua proferre nôrit; et de morbis certus, quod medici fuerit ſpiritualis præſtare poterit faciliùs multo, et fœliciùs. At ne ille liber veniat quandoque in manus quas ipſe nollet, in notandis eis quæ infamiam pœnaſque merentur, utatur charactere aliquo

2 Reg. Debet habere librum chartaceum, in quo nomina, ætates, ſtatus, et mores Parochianorum notaret, et quare.

Quali charactere notanda ſunt Parochianorum vitia.

quo ſibi ſolum intellecto; ne fratri forte in damnum cedat, quam in illius bonum conquiſierat, notitia. Caveat item Parochus ne ſcriptis hiſce obſervationibus ad malos fines abutatur; ne privatam ſuam ſecretorum criminum notitiam ad alium quemvis finem detorqueat, præterquam animæ ſalutem, et morum emendationem in illo, cujus crimina fuerint notata.

Cautio contra abuſum iſtarum obſervationum.

3 Reg. Debet parare precatiuncu-las variis ca-ſibus aptatas.

Precatiunculas, caſibus (quoad fieri poteſt) omnibus accommodatas, hinc inde conquirat, aut componat ipſe, pro re natâ, precibus in libro precum communium in hunc uſum præſcriptis, addendas, et inſerendas; eaſque ita velim compoſitas, ut non ſolum devotionem exprimant, excitentque; ſed etiam ut ignaris et oblivioſis eas ſcitè innuant veritates, quas planiùs et dilucidiùs doceri non ſemper conveniat. Paret ſaltem duas generales formulas; quarum, altera pro præſumentibus fundenda, minis, quæ erga vitia in Scripturis denunciantur, referta; altera pro deſperantibus

Quales eſſe oporteat.

rantibus dicenda, quæ infinitam Dei miſericordiam ipſiſſimis Scripturæ verbis exprimat. Hujuſmodi enim preces, paſtoris curam et peritiam arguunt; eoque pacto gregis ſui amorem et obſervantiam non rarò illi conciliant; nec magis novitate placent, quàm pietate; et tempeſtivâ quam ſuggerunt doctrinâ proſunt ægrotis, et aliis qui interſunt.

Quare hujuſmodi preces in promptu haberet.

Paret etiam Parochus generales aliquot ægrotos alloquendi formulas, variis hominum ſtatibus (quoad fieri poteſt) aptatas; aliàs enim deerit nonnunquam viſitanti quod viſitato dici conveniat; et hujuſmodi eſſe videntur quæ ſubſequuntur Oratiunculæ.

4 Reg. Debet parare formulas alloquendi ægrotos, et quare.

Formula loquendi, quâ uti poſſit Parochus, in quovis ordinario caſu.

1 Formula.

PRO certo habeas, mi Frater, morbos, et id genus mala, hominibus à Deo non temerè emitti, ſed ob bonum aliquem iiſque ſalutarem finem; eſſeque ideo omnium ſe immiſſis

Formula cuivis caſui ordinario conveniens.

immiſſis malis accommodate gerere. Velim itaque ut tu tecum perpendas, quam ob cauſam tibi hic morbus infligatur; utque ſtatuas mores ita tuos inſtituere, ut intentioni divinæ congrui ſint et conſentanei. Atque ut hoc velis poſſiſque, ſcias velim, Deum nobis morbos immittere, nonnunquam, ut noſtram probet patientiam; eſſeque tum noſtri, illatos æquo animo perferre: nonnunquam, ut nimium mundanorum amorem noſtris animis eliminet; atque ideo ad noſtrum pertinere officium, ex morbis, ubi nos invadunt, diſcere, terrena eſſe amore noſtro indigna, et totis animi viribus quærenda eſſe quæ ſupra ſunt: nonnunquam etiam, ſi non ſemper, ut ad pœnitentiam nos adducat; noſtrum eſſe, ſi quando morbis urgeamur, pœnitenti eſſe animo ob admiſſa ſcelera, odiſſe priſtina peccata, et ad ſalubriora conſilia tum tandem animos appellere. Deinde, prout opus fuerit, ad patientiam, ad contemptum mundi, et ad pœnitentiam,

argu-

argumentis ex ratione et Scripturâ ſacrâ depromptis, hortabitur Parochus.

Si viſitandus ſit malæ famæ, et delicta ſua non ultrò agnoſcat, loqui poſſit Parochus in hunc modum. 2 Formula.

AD te veni, mi Frater, non ſolùm, ut pro corporis tui ſalute Deo tecum ſupplicarem, ſed etiam ut hortando te, et excitando ad ſeriam pœnitentiam, æternam tuam ſalutem promoverem; ſperoque tibi haud fore ingratum, ſi in hunc finem, tibi nunc commemorem quæ ab aliis antehàc de te accepi. Ipſe equidem non facilis aſſenſum præbeo vulgò ſparſis rumoribus; eorum enim pleroſque malè eſſe fundatos ſcio; tibi tamen non reticebo illos, qui de tuis moribus ſparguntur, ne fortè veriores ſint quam eſſe velim. Si eos falſitatis (uti ſpero) poſſis convincere, habebo quod in futuro calumniis poſſim reponere; poteroque (quod maximè percupio) tuam vindicare Formula famoſis aptata.

innocentiam, si quando in posterum mordacibus malevolorum dictis læsam percepero. Sin veri fuerint rumores, ostendam quam tuâ interest, sepositâ omni morâ, veram agere pœnitentiam. Dicat deinceps Parochus (at semotis priùs arbitris) quæ famâ accepit; et, prout ægrotantis responsum materiam ministrârit, in alloquio procedat.

3 Formula. *Si visitandus sit integræ famæ, possit Parochus illum in primo suo accessu in hunc modum alloqui.*

Formula aptata eis qui sunt integræ famæ.

SPero, mi Frater, vera esse quæ de te audivi; nimirum, te dies retrolapsos piè, sobriè, et inculpatè vixisse; tunc enim poteris in anteactam vitam sine mœrore respicere, et de futurâ cum voluptate meditari; poteris paternam, quâ nunc premeris, castigationem immoto animo perferre; et mortem, si ingruerit, tanquam malorum finem, et, quæ in non finiendam fœlicitatem ducit, januam, intrepidus subire; poteris

te

te voluntati divinæ placidus ſubmittere; et, cum beato Apoſtolo, perſeverantiæ præmium propter Chriſti merita fidenter ſperare. Sin tibi conſcius fueris delictorum quæ alios lateant, ſcias, tibi minimè profuturum, quod alii de te bene ſentiant et loquantur. Deus enim cum olim mundum judicabit, non proferet ſententiam ſuam juxta inſtabiles hominum opiniones, ſed juxta propriam ipſius ſcientiam, quâ omnia quæ fuerunt, quæ ſunt, et quæ unquam futura ſunt, certiſſimè et infallibiliter novit; et juxta teſtimonium uniuſcujuſque conſcientiæ, quæ, quoad nunc præſtita, erit tum teſtis omni exceptione major. In hoc itaque tibi ſedulo erit adnitendum, ut verâ et tempeſtivâ reſipiſcentiâ Deum reddas propitium, et conſcientiam facias pacatam. Pœnitentia ſi vera ſit, et in tempore agatur, per Salvatoris noſtri merita, tua priſtina peccata certiſſimè delebit, et a verendo conſcientiæ tuæ teſtimonio te reddet ſecurum. Parochus deinceps ulterioris locutionis

anſam ex ipſius ægroti reſponſionibus quàm facillimè arripiat.

4 Formula. *Si Parocho accedendum ſit ad ægrotum quemvis alterius Communionis, uti poſſit hujuſmodi alloquio.*

Formula qua illis applicetur qui ſunt diverſæ Communionis.

NEſcio, mi Frater, num gratus tibi accedam: cum enim communionis fuerim à tua multùm diverſæ, poſſis forte ſuſpicari, me contra Religionis tuæ dogmata invectivas facturum; ſed nolim te id vereri: ut ut enim optaverim, te, alioſque omnes, in deviis errorum ſemitis audacter et periculosè ambulantes, ad tutam veritatis viam in tempore redire; intempeſtivum tamen videtur et incongruum opus cum valetudinariis controverſias movere, et de dogmatibus, hinc inde multum agitatis, diſputationem ingredi. Nemo autem mihi culpæ merito imputet, neque tu mihi jure iraſcaris, ſi te amicè moveam ad ea præſtanda, quæ, omnium judicio, tibi ægrotanti incumbunt; quæque citrà ſalutis jacturam

turam non poſſis omittere, nec citra ingens periculum vel in horam differre. Nec aliâ equidem de causâ ad te veni, quam ut de indubitatis omnium Chriſtianorum officiis tecum colloquerer; et ad pœnitentiam, omnibus, et quidem omnium judicio, neceſſariam, te hortarer. His præfatis, pergat Parochus pœnitentiæ naturam explicare, neceſſitatem docere, et validiſſimis argumentis ad agendum incitare; et quoad reliqua illi dicenda, indicia ſumat ex ipſius ægroti reſponſionibus.

Si Parocho agendum ſit cum infirmis qui affluunt divitiis, loqui poſſit in hunc modum. 5 Formula.

BONA tibi, mi Frater, quam plurima largitus eſt Deus; et æquum eſt ut feras æquanimiter quæ tibi immiſerit mala, et ut morbum, quo nunc urgeris, inter divini numinis favores numerare memineris; ſcias hujuſmodi afflictiones ſuos habere uſus, et licet acerbæ ſint, eſſe tamen Formula qua Parochus divites alloquatur.

tamen medicinales. Te enim docere queant, quam vana ſint et incerta, quam amore indigna, quæ nos deperimus mundana, cum dolores lenire nequeant, nec vel minimum ſolatium tibi ſummè indigo præbere poſſint; doceant fore aliquandò relinquenda, et talentorum omnium, tibi in hâc vitâ concreditorum, rationem eſſe certò reddendam; eſſeque ideo prudentum, res ſuas mundanas, ita dum in vivis fuerint, adminiſtrare, ut poſt hanc vitam fœlicitati ſuæ non obſint. Atque hinc diſcas, mi Frater, ſi quando contra juſtitiæ aut charitatis regulas in divitiis congerendis aut conſervandis deliqueris, non ſolum Deum veniam ſuppliciter poſcere, ſed etiam amorem à mundanis avulſum in cœleſtia jam tandem figere; fixamque animi converſionem indicare, juſtitiæ et charitatis operâ, prout tuæ facultates tulerint, et nunc et in poſterum exercendo. Quoad alia illi dicenda, inſtruatur Parochus ex viſitati reſponſionibus, et generalioribus regulis quæ ad claſſem ſubſecuturam pertinent.

Si cum iis agatur qui ſub gravi pauper-tatis onere diu, multumque laborarunt, poſſit Parochus ſuum ſic orditi alloquium. 6 Formula.

SEntio, mi Frater, quod tu opes mundanas non fueris aſſecutus; et hinc mihi ſpes ſuborta eſt, verioribus alterius ſæculi divitiis te unicè inhiaſſe, et theſauros tuos in cœlis prudentem repoſuiſſe: ut enim ita diteſceres, impedire nequiit durior fortuna; imo quâcum luctatus es, inopia ad hoc profuiſſe poterat, ut ſuperna quæreres ardentius; et nullus dubito quin ideo fuerit tibi a Deo immiſſa. Spero te, invidiâ et omni impatientiâ vacuum, tuâ ſorte contentum vixiſſe; poſſeque animo lubenti te tuaque omnia providentiæ Dei permittere. Nolimque te vel minimum cruciari, ſi uxorem, aut liberos, aut alios quoſvis, quibuſcum arcta tibi neceſſitudo ſanguinis intercedat, divitiis aut amicis deſtitutos ſis brevi relicturus, cum certus eſſe poſſis, Formula qua utatur Parochus cum egenos viſitaverit.

poſſis, Deum, qui tibi hactenus proſpexit, et illis poſthac proviſurum; et eorum unicuique (ſi ipſi per malos ſuos mores non obſtiterint) quod expediens fuerit, daturum. His, aut hujuſmodi dictis ſubjungat Parochus quæ juxta generales quæ ſequuntur regulas, aut juxta viſitati reſponſa, convenire judicaverit.

7 Formula. *Si valde annoſus ſit qui viſitatur, poſſit Parochus ſe ita exprimere.*

Formula qua uti poſſit qui annoſum viſitet.

MUltos, mi Frater, vixiſti annos; nec æquum eſt ut vitam ulterius protrahere, aut cupias, aut expectes. Hoc curæ tibi nunc unicè reſtare debet, ut mortem, breve intra tempus tibi certo obeundam, paratus continuo expectes; ut rationem tam longæ ætatis Deo ab obitu reddendam pares. Spero te de morte tuâ ut propinquâ jam diu cogitaſſe; multum precibus ſacriſque meditationibus vacaſſe; tuæque animæ ſalutem pro virili curaſſe; adeoque nihil jam ſupereſſe quod te moneam, niſi ut pergas,

pergas, et ad finem fæliciter perducas, quod recte inchoasti opus. Atque hoc te moneo, quia nequis tutò fovere opinionem satis esse quod hactenus feciſti. Dum enim Deus tibi vitam indulserit, lugenda erunt annorum juvenilium delicta; eorum venia erit indesinenter roganda; tuique animus sedulo erit muniendus adversus gratam eorum recordationem, et contra ea omnia vitia quæ senibus soleant præ aliis obrepere; quod genus sunt, ut alia taceam, morositas et avaritia.

Parochus ad juniorem aliquem accedens, uti possit hujusmodi oratione. 8 Formula.

Formula qua utatur Parochus cum juniorem quemvis visitarit.

SOlent juvenes, mi Frater, salutem sibi diuturnam polliceri, et de obitu quam rarissime meditari. At te docere queat, qua nunc laboras intemperies, esse eos nec à morbis immunes, nec à morte securos; ideoque vivendum esse et illis tanquam intra paucos dies morituris; suorumque omnium factorum rationem

tempore illis incerto certissimè redditurus. An tu ita vixeris, novit Deus, novit et tua conscientia. Non meum existimo te incusare, nec incusare lubet. Hortor tamen, ut tecum mente tuâ recolas, qualem te præbueris; et ut animo vere contrito pro delictis veniam à Deo preceris; utque contra omnia id genus peccata tuum animum in futurum obfirmes. Deinde, pergat Parochus mentionem facere vitiorum in quæ, uti docet experientia, proniores sunt juniorum animi.

9 Formula. *Si colloquium ineundum sit cum reo, qui ob grave aliquod facinus capitis damnatur, possit Christi Minister orationem suam sic instituere.*

Formula qua Parochus alloquatur eum qui capitis damnatur.

MORS, mi Frater, tibi brevi erit subeunda, violenta quidem, et ignominiosa; quam tamen comitantur commoda, quæ mortem quam naturalem vocamus rarissimè beant. Dissolutionem prævides tuam; et illæso adhuc cerebro, momentoso

pœnitentiæ

pœnitentiæ operi te potes accingere; et ad mortem mox adfuturam te rite disponere. Faxit Deus ut pro modico quod reliquum est vitæ, hoc totis viribus coneris. Memineris latronem in cruce pendentem salutem obtinuisse, quod malefactorum serio resipuerit; nec dubites quin et tu veniam à Deo optimo maximo assecuturus sis, si veram egeris pœnitentiam; si quæ hactenus admisisti scelera nunc odio habueris; et ex animo dolueris, quod per ea Deo displicueris; si statuta Dei jam verè dilexeris; et animo placendi Deo, tecum serio et firmiter statueris ea omnia in posterum observare; si veniâ, cum à Deo tum ab hominibus suppliciter rogatâ, privatis in quos unquam fueras injuriosus, pro facultate tuâ satisfeceris, reddendo illis quæ unquam injustè ademisti; et publico etiam illata damna resarcire laborâris, criminis, ob quod morti adjudicatus es, participes detegendo. Si hæc, aliaque ejusdem generis officia fideliter præstiteris, infamiam

qua apud homines laboras, ex parte ſaltem elues; Deum reddes propitium; et ſalutem ſempiternam, alias fruſtra expectandam, per infinita Chriſti merita ſperare poteris.

10 Formula. *Si Parochus ad aliquem ſibi ignotum vocetur, poſſit ubi illum accedit alloqui in hunc modum.*

Formula qua utatur Parochus cum ſibi ignotum inviſerit. Dilecte in Chriſto Frater, es mihi omnino ignotus, nec ſcio qualiter tu dies retrolapſos tranſegeris; ideoque, niſi interrogationibus tuis, aut ultroneis tui-ipſius confeſſionibus, mihi congrui ſermonis materiam minſtraveris, nullum potero conſilium dare niſi generale. Non aliud tamen tibi nunc dabo, quam quod ipſe mihi amplectendum cenſerem, ſi morbus (quali nunc laboras) me lecto affigeret. Hortor itaque ut retroſpicias, vitamque anteactam ad trutinam examines; in memoriam, quantum queas, revoces, quæ unquam aut in Deum, aut in proximum, aut in temetipſum admiſeris

admiſeris peccata; cogites quoties ſingula perpetraris, et circumſtantias quæ in ſingulis malitiam aggravârint accuratè expendas; inquiras ſedulo, num illa conſulto, fruſtràque reclamantibus conſcientia et paſtore tuo, commiſeris; deinde in animo volvas, quam fueris ſtultus et ingratus, in potentiam et benignitatem infinitam peccando: His peractis, indignitatem tuam ex animo et humiliter agnoſcas; Deumque roges ſuppliciter, ut, propter infinita unigeniti merita, tibi priſtina remittat peccata; et contra unumquodque, implorato Dei auxilio, ſtatuas et tuum obfirmes animum: Et quo hæc rectius et efficacius præſtentur, hortor ut amicum aliquem qui te intimè noverit, tibi in auxilium voces; eumque per veterem amicitiam, et Dei dilectionem obſecres, ut tibi nunc aſſiſtat; ut tuam refricet memoriam; tum mentionem tibi amicam faciendo eorum quæ in te unquam obſervârit delictorum, tum vitiorum catalogum tibi diſtincte recitando; ut pietatem

tuam

tuam promovere ſtudeat, tum piis et opportunis ſui-ipſius alloquiis, tum frequenti coram te lectione ſcripturæ ſacræ, aliorumque librorum, qui, aut de priſtinis tuis peccatis piè tractent, aut pœnitentiæ naturam, neceſſitatem, et efficaciam ſcitè edoceant, aut de quatuor agant noviſſimis.

Aliæ etiam formulæ parandæ ſunt.

Præcedentibus addantur et aliæ formulæ, caſibus rarius occurrentibus aptatæ; puta, ſi quis lethale vulnus in duello acceperit; ſi quis violentas ſibi manus injecerit; ſi quæ mortuum habens in utero fœtum, aut alias in puerperio de vita periclitetur.

Forma generalis alloquendi ægrotum quæ in publico viſitandi ordine præſcribitur commendatur, ſed nihil impedit quo minus Parochi etiam aliis utantur.

Hujuſmodi formulas alloquendi ægrotos paratas velim, non quod formam in publico viſitandi ordine præſcriptam, præ eis, aut earum aliquâ deſpiciam; eo enim judicio, eâque pietate compoſitam ſentio, ut omnibus quas hactenus vidi jure optimo præferendam exiſtimem; et æquari poſſe, nedum ſuperari, haud facilis credam; culpemque eos qui ab illâ ordinariè receſſerint. Sed cum

in

in publici ordinis Rubricâ indulgeatur Parochis libertas variandi alloquium; cum omnes, et præsertim valetudinarii varietate delectentur; et demum, cum alloquia eo pressius unumquemque moveant, quo magis illius statui et vitæ conditioni fuerint accommodata; conveniat necesse est, ut possit Parochus visitatis gratâ hâc varietate placere simul et prodesse; atque in hunc finem, ut eos variis alloquendi formulis instructus accedat.

5 Reg. Debet Parochus parare interrogationes infirmis faciendas, et quare.

Paret etiam Parochus interrogationes aliquas infirmo in extremis constituto faciendas. Ei enim agendum erit non raro cum infirmis, quorum an recta sit fides et vera pœnitentia, non possit nisi ope quam plurimarum interrogationum, prout convenit, inquirere. Et per quæstiones, in fidem et resipiscentiam ægroti inquisitionem facere, nec dissonum est Ecclesiæ nostræ præscriptis: exigit enim ut pastor quoad singulos fidei articulos interroget ægrotum, eumque de illius resipiscentiâ percontetur;

Inquisitio per eas facta non adversatur Ecclesiæ præscriptis, nec priorum temporum praxi.

contetur; neque priorum temporum praxi adverſatur. Nam juxta illam de variis interrogari debet infirmus, qui in extremis languet. Et formam habemus ab Anſelmo præſcriptam, quam hic placet ſubjicere.

Forma interrogationum ex Anſelmo deſcripta.

Q. Frater, lætaris quod in fide Chriſtiana moriaris? *R.* Etiam. Q. Fateris te non ita bene vixiſſe, ſicut debuiſti? *R.* Etiam. Q. Fateris te tam male vixiſſe ut meritis tuis æterna pœna debeatur? *R.* Etiam. Q. Pœnitet te? *R.* Etiam. Q. Habes voluntatem emendandi te ſi ſpatium haberes vivendi? *R.* Etiam. Q. Credis quod Jeſus Chriſtus, filius Dei, natus fuit ex Mariâ Virgine beatâ? *R.* Etiam. Q. Credis quod Jeſus Chriſtus, filius Dei, pro te mortuus fuit? *R.* Credo. Q. Agis ei gratias propter iſta beneficia? *R.* Etiam. Q. Credis te non poſſe niſi per ejus merita ſalvari? *R.* Etiam. Quo expleto dicat infirmus ter, "In manus tuas commendo ſpiritum meum."

Eſt

Eſt et alia prolixior Interrogationum formula, pro viſitatione infirmi, in libello per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem GULIELMUM LAUD, Archipræſulem Cantuarienſem conſcripto, cui titulus *A Summary of Devotions*; et gratiâ eorum, quibus ille deſit libellus, apponendam cenſeo.

Forma prolixior ex LAUDO deprompta.

Exiſtimaſne

Nullum morbum, aut crucem, caſu evenire cuiquam, vel temerè? 1.

Quin immitti à Deo, citrà cujus providentiam neminem morbo laborare? 2.

Deum autem ſapientiſſimum, ut nihil unquam permittat contingere, niſi cum expedit? 3.

Expedire itaque tibi nunc morbum, vel crucem, quem vel quam tibi nunc immiſit Deus? 4.

Porro, Deum paterno erga nos animo eſſe; patrem autem, ſive indulgeat ſive caſtiget, æquè patrem eſſe; nec minore, et forſan majore, hoc quam illud amore facere? 5.

6. Bona tibi diu dediſſe, nunc mala dare; ſed nec mala hæc niſi ut majoris boni cauſa ſint; nempe ut redeas ad illum?

7. Gratiæ eſſe hoc, quòd toties à te repulſus, tamen nec ſic deſerat, quin viſitet te denuò et requirat te?

Si ſic; ſubdes hac in re divinæ voluntati voluntatem tuam, ſacrificium omnium (poſt Chriſti) Deo gratiſſimum.

Confiteriſne

1. Non tam bene vixiſſe te quam oportuit? imo vixiſſe te male, ſæpeque et graviter peccaſſe?

2. Eſtne peccatum aliquod præter vel ſupra cætera? vel ſuntne peccata aliqua, quæ gravent conſcientiam tuam, ut peculiaris abſolutionis beneficio tibi ſit opus?

3. Eſtne ſcrupulus aliquis circa ea quæ ſunt fidei, vel religionis?

4. Recogitaſne annos elapſos vitæ tuæ in amaritudine animæ tuæ?

5. Cupereſne majorem pro iis amaritudinem ſentire, quam ſentis? et gaudereſne

gaudereſne ſi ſentires? et doletne quòd non ſentias?

Petiſne illuminari de iis quæ ignoras, vel oblitus es, ut de iis pœnitere poſſis? et pœnitetne id etiam quod vel ignoras vel oblitus es? 6.

Eſtne propoſitum, ſi vixeris, judicandi te, et vindicandi in teipſum quod deliquiſti? 7.

Eſtne propoſitum, ſi vixeris, emendandi vitam, et devitandi tum media tum ſigna eorum quæ hactenùs peccaſti? 8.

Hoccine ſanctè promittis? 9.

An petis de hoc promiſſo admoneri te libere? 10.

Crediſne

Quæ in ſymbolo ſunt fidei Chriſtianæ, ſemel ſanctis traditæ? 1.

Te ſervari non poſſe niſi ea credas? 2.

Lætariſne et gratias agis Deo, quod in hac fide natus es, vixiſti, et jam morieris in eâ? 3.

Petiſne ipſe, et viſne nos tuo nomine à Deo ſupplices petere, ne deficiat in te fides hæc in ipſum, atque adeo ne in ipſo mortis articulo? 4.

5. Petiſne etiam ut fructus fidei hujus, et præcipuè mortis Jeſu Chriſti, utcunque in vitâ tuâ periit, tamen ne pereat in morte?

6. Si te ſenſus defecerit, aut dolor ſeu debilitas eouſque pertulerit, ut quædam tibi excidant contra Religionem, ſeu præcepta ejus, viſne haberi pro non dictis? et renuntiaſne iis tanquam non tuis?

Remittiſne

1. Illis qui te quocunque modo læſerint, ſicut tibi vis remitti?

2. Petiſne à Deo ut ipſe quoque illis remittat?

3. Remittiſne illis ſatisfactionem ad quam tenentur ratione illorum, quibus te verbo vel facto læſerunt?

4. Viſne hoc illis, qui in te peccarunt, tuo nomine ſignificari, te illis quantum in te eſt noxas omnes remiſiſſe?

5. Remiſſuruſne eſſes, ſi graviora et plura in te deliquiſſent?

6. Gaudereſne ſi plures jam haberes quibus remittere poſſis, quo inde uberiùs tibi remiſſio peccatorum tuorum à Deo impertiri poſſit?

Tu

Tu ipſe, ſi quos læſiſti, petiſne ab eis veniam, ut et tibi remittant? 1.

Ecquos imprimis commeminiſti, et vis hoc illis ſignificari tuo nomine? 2.

Quum remiſſio nulla ſperari poteſt peccatorum contra octavum vel nonum præceptum legis divinæ, niſi fiat reſtitutio; paratuſne es reſtituere illis rem quibus in re familiari, et illis famam quibus in fama detraxiſti, idque ſine dolo et dilatione? 3.

Recordariſne qui tandem ſint? 4.

Convenit etiam non raro, ut Paſtor in ſtatum animæ ægrotantis preſſius adhuc inquirat, de variis vitiis in Decalogo expreſsè aut reductivè et conſequenter prohibitis; de iis ſaltem, in quæ ægrum incidiſſe ſuſpicetur, ſigillatim interrogando: cavendum verò eſt ne ægrum ignota doceat, ideoque peccata minus naturalia, quæque rarius perpetrantur, ne nominet quidem, niſi gravis ſit ſuſpicio illum ea quandoque admiſiſſe.

Aliæ etiam interrogationes faciendæ ſunt, ſed cautio adhibenda ne ex iis diſcat ægrotus quæ prius ignoravit vitia.

Unus-

6 Reg. Docendus eſt populus quod Paſtor debet advocari in initio invadentis morbi, et quare.

Unuſquiſque curam habens animarum, moneat frequenter populum ſibi commiſſum, vel in privatioribus colloquiis, vel in publicis quas ad eos habuerit concionibus, ut paſtorem advocari curet unuſquiſque ubi morbus aliquis primum invaſerit; morbo enim invaleſcente, fruſtra ut plurimum fiunt colloquia; corpore ſiquidem ſævientis mali violentiâ correpto, compatitur plerunque animus, ſuiſque functionibus ineptus redditur: convincendus itaque eſt populus, expedire illis morbo quovis laborantibus ut verbi aliquis miniſter in tempore accerſatur; illius preces et conſilia non mortem accelerare, (quod vulgò ſed ridiculè putatur) ſed pœnitentiam veram promovendo, morbis amovendis, vitæque ulterius protrahendæ efficaciter inſervire: et eo magis movendi ſunt homines ad paſtorem ſuum advocandum cum ſe male habuerint, quod multi, præſertim infimæ ſortis, paſtoris ſui opem rogare ideo deſiſtant, quod vereantur ne eis fiant moleſti.

At

At quoniam ægroti vitio, aut assistentium incuriâ, accidit nonnunquam quod Pastor non sit tempestivè accersitus, pastoris erit officium, de gregis sui salute sæpe sæpius inquirere; et aliquorum templo ministrantium (cujusmodi sunt clericus parochialis sive ædituus et ostiarius) curæ hoc demandare, ut de parochianorum morbis eum faciant certum: pastorque de adversâ cujusvis valetudine certus, eum ultro adeat, nec invitationem præstoletur; omnem enim gregi suo benefaciendi ansam arripere debet, et molliora quævis affandi tempora captare; cujusmodi sunt, quæ ægritudo ministrat. Nemo itaque cui animarum cura committitur, charitativum hunc laborem refugiat, quod teneantur illius parochiani eum accersere si infirmentur,— juxta illud Apostoli, " infirmatur quis in vobis? accersat " presbyteros ecclesiæ, et orent super " eum," aut quod vereatur ne, si ultro se obtulerit, ingratus venerit, et tempore parum opportuno accesserit: imo,

7 Reg. Debet Pastor inquirere frequenter de salute sui gregis, et iis qui templo famulantur injungere, ut ei morbos Parochianorum significent.

Pastor de his certus eos ultro adeat, et quare.

Jac. v. 14.

imo, ne cauſas fingere, et otio prætextum quærere videatur, unicâ ſaltem vice ultro ægrotum adeat; et ſi ingratum ſe adveniſſe, et nihil apud illum profecturum ſe ſenſerit, tum demum Parochus ſine negligentiæ notâ abeſſe poterit.

Hactenus oſtenſum eſt qualiter debeat Curatus inſtrui, ut arduum illud ægrotos viſitandi opus aggredi poſſit prudenter, et utiliter exequi; poſtulatque methodus ut nunc oſtendam, quæ erga ipſos ægrotos inter viſitandum præſtare debeat; atque hæc docebunt ſequentes regulæ.

Regulae ad secundam Classem ſpectantes.

1. DECEBIT Parochum cum primo ad ægrotum accedit, compaſſionem aliquam voce et vultu exprimere, blandèque eum interrogare, de mali quo premitur naturâ, ſymptomatibus, et duratione; hæc enim ut amoris et benevolentiæ ſunt indicia, ita reddent gratiora quæ deinceps eſt dicturus.

1 Reg. Paſtor ægrotum primo accedens debet benevolentiam ſuam ſignificare.

2. Innuat deinde Parochus ſe ſpem de ægroto habere, quod divinæ voluntati voluntatem ſuam ſubmiſerit; et paternam cœleſtis patris correctionem, prout filium decet obſequentem, æquanimiter laturus ſit; quippe quæ, etiamſi gravis videatur, ſit tamen longè infra merita; quæ licet inter mala vulgò numeretur, bono tamen ſit illi ceſſura, ſi æquo animo pertulerit; quæque denique, uti aliæ

2 Reg. Ad ſubmittendum Deo hortetur.

Quibus argumentis ad id ſuadeat.

omnes afflictiones, ad hoc à Deo immittatur, ut patientiam probet exerceatque: addi etiam poſſit, impatientiam non tollere, non ſublevare malum, ſed augere; eo ſiquidem gravius premat unumquemque quælibet miſeria, quo eam magis contra voluntatem patiatur.

3 Reg. Doceat ob incertum morbi exitum, nec corporis curam abjiciendam, nec animæ procraſtinandam.

3. Doceat porro Parochus incertum eſſe morborum exitum; adeoque illi nec ita de ſalute deſperandum, ut omnem corporis curam abjiciat, eoque reſpuat medicamenta quæ malum profligare poſſint; neque ita è contra ſperandum, ut aliud pœnitentiæ tempus ſibi audeat promittere; tutumque putet, opus illud unicè neceſſarium vel in diem differre.

4 Reg. Preces in liturgiâ præſcriptæ dicendæ.

4. Flexis deinde genibus pro ægroto Deum precetur, juxta formulam in Liturgiâ præſcriptam; precibuſque paululum interruptis, ſurgat; Et,

5 Reg. Ad alloquium procedat.

5. Ad alloquium procedat illud quod in libro precum communium habetur; aut, ſi convenientius judicârit,

cârit, ad aliud aliquod quale ante deſcripſimus.

6. Finito generali alloquio, oſtendat quam ſit impoſſibile Deo ſine fide placere; quamque ideo uniuſcujuſque interſit ſuam probare fidem, et an vera ſit inquirere. 6 Reg. Fidei veræ neceſſitatem oſtendat.

7. Utque ea inquiſitio debitè peragatur, recitet Parochus clarâ et diſtinctâ voce omnes ſymboli Apoſtolici articulos; et, juxta eccleſiæ noſtræ præſcriptum, ægrotum quoad unumquemque interroget, num illi ex animo aſſentiatur; et ſi in quovis vacillare perceperit, ſtabilire eum ſuſcipiat. Cumque 7 Reg. Quomodo in eam inquiratur.

8. Ex fidei noſtræ articulis quidam ſint adeo fundamentales, ut nequeant citra ſalutis diſpendium aut ignorari penitus, aut pro falſis haberi; quoad illos ſaltem adnitendum erit Paſtori, ut viſitatus eos rectè intelligat; iiſque aſſenſum præbeat inconcuſſum. Neque de aſſenſu illis præbendo apud quemvis hæſitanter differat, quod templum diu frequentârit: ex defectu enim tempeſtivæ 8 Reg. Cura præcipua ſit circa articulos fundamentales. Eam non excludit templi frequentatio.

eruditionis evenit, quod multi provectæ admodum ætatis, nec ſcitu neceſſaria intelligant, nec creditu neceſſariis aſſentiantur. At conveniat fortè aliâ viâ procedere apud eos qui peritiores ſunt, aut ſibi videntur; eoſque, ſi explicatiore aliquâ articulorum fidei cognitione egere viſi ſint, juxta prudentem Jo. Polanci regulam, ad diſtinctiorem eorum perceptionem adducere, vel per modum commendationis, vel per modum oblationis, vel per modum obſecrationis, vel per modum gratiarum actionis, vel per modum ſpem erigendi; monendo nimirum viſitatum, ut (ipſo præeunte) ſe ſacro-ſanctæ Trinitati--Patri, Filio, et Spiritui Sancto -- commendet; ut Patri ſe commendet, tanquam omnium viſibilium et inviſibilium Creatori; Filio, ut per æternam et ineffabilem generationem à Patre æternum nato, ut in tempore propter ſalutem hominum in mundum miſſo, ut virtute Spiritûs ſancti concepto, ut nato homini ex Virgine Mariâ, ut paſſo, mortuo, ſepulto,

Modi quibus ad diſtinctam myſteriorum fidei cognitionem adduci poſſint, qui peritiores ſunt, aut ſibi videntur.

ſepulto, reſcuſcitato, in cœlum aſcenſo, ibidem ad dextram Patris ſedenti, et ut tandem venturo ad judicandum vivos et mortuos, et unicuique juxta opera, aut æternam vitam, aut æternas miſerias reddituro; atque ut demum ſe commendet Spiritui Sancto, ut à Patre et Filio procedenti; et unam ſanctam et catholicam eccleſiam vivificanti: Doceantur, inquam, ægroti, variato ſubinde modo, nunc ſe illis commendare; nunc ſe illis offerre; nunc illos obſecrare; nunc illis gratias agere; nunc ſpem ſuam in illis ponere; mentione myſteriorum fidei explicitè ſemper factâ, ſive hoc, ſive illo modo procedatur.

9. Seriam pœnitentiam eſſe omnibus ad ſalutem neceſſariam, paucis, prout expedit, aut multis demonſtret; oſtendatque ex ſcripturis ad hoc eam ſufficere, ut peccatores vel graviſſimos divinæ miſericordiæ capaces reddat. Et,

9 Reg. Neceſſitas et efficacia veræ pœnitentiæ docentur.

10. Quoniam gravis eſt ſuſpicio, veram pœnitentiæ naturam à pleriſque

10 Reg. Ejus natura explicanda.

Quid ſit.

que ignorari, erit ut plurimum ſedulò explicanda; docendaque erit longè major ægrotantium turba, eſſe firmam animi à malo ad bonum converſionem in amore Dei fundatam, et cautâ vitiorum omnium devitatione, et diligenti omnium virtutum praxi continuò indicatam.

11 Reg. Examen vitæ ad pœnitentiam agendam neceſſarium.

11. Accuratum retroactæ vitæ examen ad pœnitentiam ritè agendam neceſſarium eſſe doceat; et ad illud ſedulò hortetur. Et quò id debitè peragatur,

12 Reg. Moneat ad id faciendum per lectionem vitiorum catalogi.

12. Moneat ægrotum vitiorum aliquem catalogum attentè legere; aut alii illum diſtinctè recitanti mentem, et aures arrectas præbere; et quoad unumquodque vitium ſe ſeriò conſulere, num aliquo id tempore admiſerit: Neque enim tutum eſt cuipiam, in re adeò momentosâ, ſuæ ipſius memoriæ in ſolidum confidere, et externa aſpernari auxilia.

Atque adjuvet etiam decem præcepta percurrendo, et quæ prohibent recenſendo.

Decebit itaque fidum Chriſti Miniſtrum de hoc ægrotum frequenter admonere; eumque etiam non raro juvare, decem legis præcepta breviter percurrendo,

percurrendo, ſtrictimque illi notando quæ prohibent delicta: et poſteriorem hanc methodum in caſibus ferè innumeris priori prætulerim; quia idiotam quemvis docebit modum ſe examinandi facillimum; quo, externo omni auxilio orbatus, uti poterit, quandocunque lubuerit.

13 Reg. Delictorum frequentia, et circumſtantiæ expendi debent. Qui ſint fines hujus examinis.

13. Moneat etiam, ut ſecum ſubinde cogitet, quoties ſingula admiſerit peccata, et quæ ea aggravarint circumſtantiæ. Et cum fines hujuſce inquiſitionis non alii ſint, quam coram Deo eſſe humili demiſſoque animo; priſtina et dilecta hactenus peccata lugere et habere odio; eorum veniam ſuppliciter rogare Deum; et contra ea in poſterum ſtatuere;

14 Reg. Hortetur ut examen ordinet ad fines prædictos.

14. Hortetur ægrotum, ut (examine peracto) ſuam indignitatem agnoſcat, et humillime fateatur; ut ſua lugeat peccata, ut eis veniam à Deo impetret; et demum, ut firmiter ſecum ſtatuat à ſimilibus ſibi in futuro, quantum poterit, cavere. Et,

15. Quoniam

15 Reg. Venia etiam ſecretioribus delictis roganda eſt.

15. Quoniam neceſſe eſt, ut poſt inquiſitionem vel accuratiſſimam nonnulla lateant delicta; hortetur item ut cum Pſalmiſtâ à Deo petat, " ab occultis purgari, à ſecretis mun- " dari."

16 Reg. Si dolcat ægrotus, inquirendum unde ejus dolor oriatur.

16. Si æger vultu ſuo aut dictis dolorem aliquem ob ante admiſſa conceptum prodiderit, inquirendum erit ſedulò, unde ortum habeat illius dolor; an ex ſervili pœnæ metu; an verò ex eo, quod contra infinitam Dei benignitatem deliquerit: licet enim prior iſte dolor foveri debet, ut uſitatiſſimum pœnitentiæ initium, in eo tamen nulli tuto acquieſcitur; ideoque excitandus erit ægrotus ad dolorem nobiliori principio innixum: luctus enim qui in nobis pœnitentiam non pœnitendam operatur, ſuam habet acerbitatem ex ingrato noſtro infinitæ miſericordiæ contemptu.

In quo debet fundari.

17 Reg. Dolor ſenſitivus non requiritur in omnibus.

17. Si per duriorem corporis temperiem ſteterit, quò minus æger ſua defleat delicta; dici convenit in illius ſolatium, dolorem ſenſitivum non

in

in omnibus requiri, atque illis, qui dolere neſciunt, ſufficere, ſi omnia Dei lege prohibita, verè, et ex animo averſentur, et in futuro ſeduli devitent.

18. Non ſatis putet Parochus, ægrotum ad generale obediendi Deo in omnibus propoſitum ineundum hortari, ſed curet etiam, ut maturâ deliberatione, et debitis rationibus ineatur; ſi enim ex ſubito animi motu, nullâque ante habitâ difficultatum, quæ in eo retinendo certiſſimè ſubeundæ ſunt, ratione, procedat, leve erit, et cuivis difficultati ex improviſo occurrenti facillimè ceſſurum; et ſi indebitæ cuivis rationi innitatur, cujus generis ſunt ſpes, metuſque mundanorum, inſtabile erit, et ſublatâ cui innixum eſt ratione, ut corruat neceſſe eſt: et ut ſancto animi propoſito ſtare velit poſſitque, hortetur eum Dei gratiam auxiliumque implorare: qui enim propriis ſui ipſius viribus confiſus, id in ſe ſuſcipit, quod ſine auxiliis divinæ gratiæ præſtari nequit, triſ-

18 Reg. Propoſitum pietatis juſtis rationibus ineundum.

Ut ſtabile ſit, auxilium Dei implorandum.

tiſſimâ experientiâ ſe ſpem vanam aluiſſe docebitur. Et ſi Paſtor conſcius fuerit vitiorum, quibus viſitatus valens indulſit, ſemotis arbitris, et amore præfato, de iis ſpeciatim differat; et ut contra illa ſigillatim ſtatuat reum exhortetur; ei etiam author ſit tam de mediis, quam de fine ſtatuendi; eumque amiciſſimè admoneat, ut in animo habeat, ſecumque obſtinatè ſtatuat ea omnia diligenter præſtare, quæ propoſito ſtabiliendo ſubſerviunt; eaque omnia cautè evitare quæ id ſoleant labefactare: qui enim aut ea negligit, aut his indulget, non poterit meliori jure ſpem aliquam concipere ſe aſſecuturum ſuum propoſitum, quam quo ſperare poterit ſe fore eruditum, qui nullam literis navârit operam: proderit etiam mentionem facere eorum, quæ obſtinatiores et in pietate obfirmatiores nos reddere apta ſunt; cujuſmodi ſunt, rectæ de Deo apprehenſiones,-- veræ notiones de vitiorum et virtutum naturis,-- frequens de noviſſimis meditatio,-- diligentia

Tam de mediis quam de fine ſtatuendum.

Mentio facienda eſt eorum quæ pietatem firmant, et quæ ſint.

in

in vocatione,-- assidua oratio,-- bonorum societas,-- frequens vitæ examen,--religiosa omnium quoad adiaphora propositorum tenacitas,-- et quotidiana statutorum pie initorum renovatio: proderit etiam ea strictim notare quæ in vitia nos reddunt proclives; quod genus sunt, otium, malorum conversatio, et ut alia taceam, ea animi levitas et inconstantia, quâ à propositis minus momentosis sine scrupulo recedimus, eaque temeraria audacitas, quâ in pericula nos conjicimus, et in tentationes cautè evitandas sine causâ irruimus.

Facienda etiam mentio eorum quæ pietatem labefactant. Quæ sint.

19. Ad sacræ cœnæ participationem urgeat, moneatque ut in tempus illius celebrationi destinatum se ritè præparet; et amicos quosdam advocari curet, qui eam unà participent: Sciscitetur autem num antea unquam de hoc Sacramento participarit; nam si illud nunc primum recepturus sit, illius natura, necessitas, et efficacia ei debent explicari, docendusque erit quo ille modo se optimè præparet.

19 Reg. Ad Eucharistiam accipiendam hortetur, et ubi opus est illius naturam, &c. doceat.

20 Reg. Moveat ad reſtitutionem.

20. Verba habeat frequentia de reſtitutione proximo facienda ob injurias quas illi intulerit; quo enim minus de eâ cógitent plerique cum rectè valent, eo magis monendi erunt cum fuerint ægroti; atque doceri etiam illos oportet, quæ cuique injuriarùm generi debeatur ſatisfactio: Et quo ægroti malè acquiſita lubentiùs reſtituant, hæc illis in animo volvenda proponantur; nempè, fore omnia inter breve tempus certiſſimè deſerenda; malè eſſe dilapſura quæ malè parta ſunt, nec diu hæredibus profutura; imò, illis veriſimiliter nocitura, et in æternæ damnationis periculum eos conjectura: et licèt illis maximè et ſine omni futuræ calamitatis diſcrimine profuerint, eſſe tamen egregiæ dementiæ ſe miſeriis nunquam finiendis exponere, ut ingrati quivis hæredes fugaci fruantur voluptate.

Et ſpeciatim ad reſtitutionem, quæ ob injurias animæ illatas debetur.

Quum nulla gravior ſit injuria, quam quæ proximorum animabus infertur, cùm ad ſcelus aliquod patrandum inducuntur, de reſtitutione

in

in iſtiuſmodi caſibus neceſſariâ erit aliquid ſpeciatim dicendum; et ſtimulandus erit ægrotus, ut ad pœnitentiam datâ operâ hortetur, et, quantum in ipſo fuerit, adducat eos, quos ad peccandum quovis modo pellexerit: Eum itaque admoneat Parochus, ut illis, ſi in propinquo fuerint, ad ſe clanculum vocatis, dicat, aut ſi remotius egerint, per literas vel fidum aliquem amicum ſignificet, ſe paternâ Dei diſciplinâ ad ſaniorem mentem fœliciter revocatum, omnia vitæ anteactæ crimina jam vere averſari; et ex animo nunc dolere, non ſolum quod ipſe ea temere admiſerit, verum etiam quod quandoque illos ſibi in ſcelerum ſocietatem aſciverit; ſe jam orare, et ſerio obteſtari illos, ut ſaluti ſuæ ſempiternæ in tempore velint proſpicere; ut omnibus ſuis delictis jam tandem renuntiarent, et præcipue illis, ad quæ, aut exemplo pravo, aut inſano concilio, aut iniquâ quâvis ſuaſione ipſe eos adduxerit; ſe de malitiâ, et ingenti iſtorum periculo

jam

jam plenè convictum esse; se in animo suo persuasum esse, reddendam esse Deo rationem, non solùm de propriis sui-ipsius delictis, sed etiam de istis aliorum peccatis, quibus suâ conversatione culpandam ipse occasionem præbuerit; atque ideò non posse pacato animo ex hâc vitâ decedere, nisi postremo suo spiritu ad tempestivam vitæ emendationem eos priùs hortatus sit; et, quantum in ipso fuerit, à morte delictis debitâ securos, et melioris vitæ capaces reddiderit. Cumque penè omnes ubique homines de aliorum criminibus, (si non aliàs, fraternæ saltem correptionis neglectu) participare soleant; decebit universos, et præsertim eos, qui ex hâc vitâ migraturi sunt, omnes, quotquot eos invisérint, ad veram pœnitentiam, seriumque pietatis studium in genere hortari: Et ad hanc generalem reparationem faciendam, ob generalem illam injuriam quæ ex isto neglectu fluat, omnes, qui periculosè ægrotant, non immeritò moneantur.

21. Ad-

21. Admoneat etiam ægrotantem, uti ſuarum offenſarum veniam ab hominibus petere, ita et injurioſis viciſſim dare; doceatque, quæ, qualiſque offenſarum remiſſio neceſſaria ſit, ut quis ſuarum remiſſionem à Deo obtinere poſſit. Nonnulli enim ad remittendum ſuis debitoribus in genere hortati, falsò et periculosè judicant, ſe quod ſatis eſt feciſſe, ſi veniam ore pronunciaverint, licèt interim in animo celatum lateat propoſitum vindictam aliquam ſumendi, ſi quando ad ſalutem redierint, et in ſuâ poteſtate habuerint. Aliique è contra exiſtimant, ſibi à jure recedendum, et injuriarum memoriam ita ex animo delendam, ut de iis poſtea ne cogitent quidem, ſi, ut monentur, injurioſis velint remittere.

21 Reg. Moneat ad ignoſcendum injurioſis.

Notantur errores circa debitam injuriarum remiſſionem.

22. Precibus publicâ authoritate præſcriptis addat nonnunquàm et alias formulas, prout ægrotantis ſtatui expediens judicârit; atque per eas poterit ægrotum, et alios quoſvis qui illi aſſident, quoad officia illis pro tempore incumbentia prudenter

22 Reg. Novæ precum formulæ præſcriptis addendæ; earum uſus.

denter inſtruere; à Deo nimirum rogando nominatim, ut ea præſtent ſinguli, quæ eâ occaſione ſint ſingulis præſtanda.

23 Reg. Ægroti animus contra mortis metum muniendus.

23. Si mors inſtare videatur, contra illius metum muniendus eſt ægroti animus; morſque illi repreſentari debet tanquam omnium miſeriarum finis, oſtiumque quod ad æternam fœlicitatem adducet eos, qui veræ pœnitentiæ vera dederint indicia.

24 Reg. Pœnitentibus pronuntianda eſt abſolutio: ea exponenda, et quomodo.

24. Illis de quorum pœnitentiâ, quin vera fuerit, non jure dubitatur, pronuntianda eſt abſolutio, ſi obnixe eam petierint; eaque, ne perperam intelligatur, ut plurimum exponi debet; et proponi poſſit tanquam abſoluta reſpectu eorum delictorum, quæ eccleſiæ ſcandalum pepererunt; et reſpectu aliorum omnium peccatorum tanquam authoritativa; Deique gratia efficax futura illis, qui veram egerint pœnitentiam.

25 Reg. Ægroti pro variis ipſorum geniis varie tractandi.

25. Meminerit ſemper qui curam habet animarum, ægrotos, pro variis ipſorum geniis, variè tractandos; illis

illis enim qui futuræ fœlicitatis ſpes aluerint non bene fundatas, juſtitia Dei explicanda eſt; minæ illæ graves, ſub quibus Deus omnes ubique homines omni interdixit ſcelere, vivaciter urgendæ; terroreſque tremendi judicii, et inferorum pœnæ, quoad fieri poteſt, ad vivum repræſentari debent. Infirmo autem è contra illi, qui animo eſt verè contrito, et ſub gravi onere peccati multùm ingemiſcit, leniendus eſt animus, ſuavi de miſericordiâ Dei colloquio; et in illius ſolatium illuſtranda ſunt illa Scripturæ loca, quibus Deus peccatoribus pœnitentiam agentibus veniam pollicetur; Salvatoris merita illi in mentem revocanda; ſpem in illis ponere, et pacato eſſe animo moneri poſſit et debet. Atque ſacræ Scripturæ loca, quæ his uſibus congruè applicari poſſint, in libellis in calce hujus tractatûs nominandis collecta habeantur.

Quomodo præſumentes.

Quomodo contriti.

26. Si parens fuerit qui viſitatur, movendus erit ad benedicendum et piè conſulendum liberis; præſertim

26 Reg. Parentes movendi ad pie conſulendum liberis.

ſi morti vicinus videatur: conſilia enim quæ parens moriturus dederit, liberorum animis penitiùs inhærebunt, et apud illos plus valebunt quam quæ ſanus inſtituerit.

27 Reg. Ad quid ſervi movendi.

27. Si ſervus viſitetur, urgeatur detegere, ſi quæ noverit, adverſus heri heræve bonum conſilia ſuis inita conſervis.

28 Reg. Pauperi ſubveniendum.

28. Si pauper fuerit ægrotus, et neceſſariis indiguerit, Paſtoris erit prout poterit ſubvenire, pecuniamque illi aut ſuam largiri, aut ſi illud per inopiam non liceat, à ditioribus impetrare.

29 Reg. Ægrotus ad condendum teſtamentum movendus, et quare.

29. Ægrotum, ubi opus fuerit, ad res ſuas mundanas diſponendas hortetur; tum ne incompoſitæ animum illius diſtrahant, et à rebus magis momentoſis avocent; tum ne ſi, iis nondùm compoſitis, fato conceſſerit, moleſtiæ inde et lites ſuperſtitibus oriantur. Eum etiam ſi divitiis affluat, argumentis à ſententiâ die ultimo proferendâ petitis, ad charitatis opera ſtimulari conveniat.

30. Hi

30. Hi hortatus non uno tempore urgendi ſunt; tum quia ægroto hoc tædium pareret, tum quia convenit ut Paſtor novi aliquid proferat, quoties laborantem inviſerit; ne eandem ſemper cantilenam videatur canere, et inſcitiæ ab auſcultantibus accuſetur, quaſi ſermonem variare præ ignorantiâ neſcierit.

30 Reg. Præcedentes hortatus non uno tempore urgendi, et quare.

31. Paſtor peractis precibus, et facto hortandi fine, ægrotum de ſtatu corporis blandè interroget, et de remediis quibus uſus fuerit, amicè alloquatur; et ſi medicinæ fuerit peritus (niſi adſit medicus) ſuum etiam adhibeat conſilium; hâc enim methodo ſe reddet gratiorem.

31 Reg. Poſt preces et hortatus blande et amice alloquatur Paſtor.

32. Diſceſſurus tandem Paſtor ægrotum hortabitur ad meditandum privatim de iis quæ ab ipſo audiêrit, et ad ſequendum monita movebit; ſalutem illi precabitur; et rogabit Deum ut illius gratiæ auxiliis poſſit velitque ægrotus ſe ſuis circumſtantiis convenienter gerere.

32 Reg. Quæ dicere oporteat diſceſſurum.

Regulae ad tertiam Classem ſpectantes.

1 Reg. Roget Paſtor aſſiſtentiam eorum qui ægroto aſſident.

1. Convenit non rarò ut Paſtor Evangelicus, in promovendâ viſitati æternâ ſalute, aſſidentium utatur operâ: plurimum enim apud ægrotum poterit, ſi illos ad ſibi ſeriò aſſiſtendum adduxerit, qui illi ſanguine aut amicitiâ junguntur. Eis itaque ad ſe clanculum vocatis, in hunc modum loquatur: Benè eſt, et laudo quod amico huic veſtro laboranti curam impendatis: addatis, obſecro, corporis curæ atque animæ curam: ea enim eſt pars longè præſtantior, et majorem meretur curam: in hoc ideo potiſſimum incumbatis, ut ea demum ſit ſana: verum veſtrum amorem hoc pacto optimè, et illi procul omni dubio utiliſſime exprimatis: caveatis itaque imprimis ne mens ejus à ſeriis avocetur, aut futilibus

Quomodo illos alloquatur.

futilibus colloquiis, aut incompoſitis viſitantium moribus: foveatis, quantum in vobis fuerit, pios quos in ejus animo excitavi cogitatus: legatis, ubi fuerit opportunum, clarâ et diſtinctâ voce, hunc, vel illum vitiorum catalogum, iſtiſque vitiis inter legendum diutiſſimè immoremini, in quæ amicum, aut naturâ, aut pravâ conſuetudine proniorem noviſtis: legatis etiam, aliis vicibus, Pſalmos pœnitentiales, illaſque ſacræ Scripturæ paginas, quas illi nunc temporis præ aliis profuturas putetis: legatis itidem ſuis vicibus, hanc vel illam, hujus vel illius libri portiunculam: hæc enim ut vos faciatis, eſſe illi expediens judico. Amicum veſtrum frequenter inviſam; at cùm illi continuò adſtare non potero, veſtrum erit, quæ dixi, officiis meam ſupplere vicem. Hujuſmodi officia ab aliis ipſi expectabitis, ſi quando, (quod longè abſit) gravi aliquo correpti morbo de vitâ periclitemini: quæ vobis ipſis ab aliis fieri velitis, ea aliis facere nunquam gravemini.

2. Mo-

2 Reg. Moneat eos de compeſcendo luctu.

2. Moneantur etiam, ubi opus fuerit, qui ægroto aſſident de compeſcendo luctu; doceanturque, dolorem vanum eſſe, et rationi rectæ ideo adverſari, quod nihil boni promoveat; fore etiam impium, et Deo diſpliciturum, ſi nimium illi indulgeatur; ut ut enim veniam à Deo aſſequatur, cum invitis obrepit; foveri tamen nequit quin ſumma Dei authoritas impugnetur: ideoque moneantur ut ſedulò in hoc conatus dirigant, ut ad divinam voluntatem in omnibus voluntates conforment ſuas.

3 Reg. In ægroti mortem, ſi propinqua videatur, aſſidentes præparet, et quomodo.

3. In mortem etiam periculosè ægrotantis ulteriùs præparentur; et in hunc finem dicatur, ut fluxa ſit et incerta, quam hic agimus vitam; ut iniquum ſit eos recuſare ſortem, quæ omnibus ferenda eſt; et mortem aut averſari ſuam, aut aliorum multum dolere; cum omnes hâc lege in hunc mundum introivimus, ut inde ad Dei juſſum exeamus; quod ſiquid illi, quem nunc inutiliter plorant, humanitùs acciderit, eum

eum cito ſecuturi ſint omnes, et in æternum unà manſuri; niſi ob diverſos mores, diverſis fuerint conſignandi locis: dicatur denique amorem erga vitâ functos rectius multo, et utilius exprimi, fideli eorum executione, quæ moribundi in mandatis dederint, et debitâ ſuperſtitum curâ, quam vanis lachrymis, et inutili luctu. Et ſi hujuſmodi dictis non poſſit Parochus adeo multum proficere, ut dolorem aut eliminent, aut multum minuant, qui ægroto aſſident; moneat tamen illos, ut ſaltem celent dolorem, quoties in ægrotantis conſpectum fuerit illis veniendum; ne intempeſtivo luctu turbent illius animum, et ad juſtam animæ curam eum reddant ineptiorem.

Doceat quomodo amorem erga mortuos exprimant.

Moneat ut dolorem celent ægrotum.

4. Eos etiam, qui ægroto miniſtrarint, ſtrictè interroget de ætate, vitæ conditione, literaturâ, moribus, aliiſque ſibi minus notis ægroti circumſtantiis. Paſtor enim quo hæc accuratius prænoverit, eo poterit facilius, cum proximè acceſſerit, quæ loqui deceat dignoſcere: quoad iſta præmonitus,

4 Reg. Quæ poterit de ægroto ex aſſidentibus ediſcat.

prædmonitus, et debitè informatus, miſſis generalioribus et parum profuturis locutionibus, ſermonem ſuum ad ægroti ſtatum, nullo ferè negotio, accommodare poterit.

5 Reg. De quibus monendus ſit medicus.

5. Quærat ex medico, qui ægroti curam ſuſceperit, num morti eum putet vicinum; illumque moneat, ſi quæ propinquæ mortis ſymptomata perceperit, ne celet ægrotum, aut eos qui illi aſſederint; ne ægrotus, ſpe vanâ ſalutis ſuæ deceptus, curam animæ neceſſariam periculosè procraſtinet; et ne illi miniſtrantes eis deſint officiis, quæ amico in extremis conſtituto præſtare eos oporteat.

6 Reg. Quid dicat ægrotantis amicis, ſi is phreneſi teneatur.

6. Si viſitatus (quod ſæpe evenit) per phreneſin, ſeu breve aliquod delirium, conſilii ſit incapax, aſſidentes admoneat de iis quæ illi dici cupierit, ſi quando ad ſaniorem mentem redierit; iiſque etiam hoc officii injungat, ut eum curent advocari, ubi primum ſenſerint, ſana quævis conſilia poſſe aliquid apud ægrotum valere.

7. Si

7. Si nimia amicorum dilectio obſtiterit, quo minus pacato animo de morte mox futurâ cogitaverit ægrotus, et ad eam ſubeundam ſe alacris compoſuerit; moneat Paſtor illos, qui ei neceſſariò miniſtrant, ne terrenos hoſce affectus concitari patiantur, aut non neceſſario conjugis, liberorum, aliæve cujuſvis perſonæ plurimum illi dilectæ acceſſu, aut intempeſtivâ eorum mentione; illos etiam doceat argumenta, quibus dehortari poſſint propinquos, ſi ad frequentem moribundi conſpectum admitti impotentèr cupierint.

7 Reg. Moneat eos, qui ægroto miniſtrant, ut à morituri conſpectu eos prohibeant, devitentque mentionem eorum, quorum conſpectum aut mentionem indebitos affectus concitare in ægroto ſentiant.

Regulæ quartæ classis.

REGULAE ad QUARTAM CLASSEM reducendæ.

1 Reg. Pastor si ægrotum, quem non novit, inviserit, utatur oratione præmeditata et generali.

1. VERBI Dei Minister, quo visitandum penitiùs noverit, eo aptiùs alloqui poterit, sacræque Scripturæ loca commodiùs ei applicare: Erit tamen illi nonnunquam accedendum ad ægrotos sibi minimè notos; atque hoc in casu, necesse est ut se in generalibus contineat; et uti possit præmeditatâ aliquâ oratione, quæ cuivis ignoto ex æquo congruat; cujusmodi est quam habeat lector inter regulas primæ classis.

2 Reg. De eis speciatim differat, quæ ex colloquio expiscetur.

2. Si quid de pristinis visitati moribus ex illius responsis expiscari possit Parochus, de iis agat speciatim, laudetque laude dignos, et culpandos improbet; et quoad hos doceat, quàm fuerint culpandi, quàm illi

illi fuerint nocivi, quàm Deo odioſi; dicatque inſuper, quibus illi modis præcaveri, et in futuro præveniri poterint.

3. Si quoad priſtinos ægroti mores nihil diſcat ex illius reſponſionibus; prudenti Parocho facienda erit conjectura ex illius ætate, et vocatione, et loco in quo ſanus dies tranſegerit: unicuique enim ætati, et ſtatui, et regioni, ſua ſunt vitia; et paſtorem hortarer de iis vitiis ſigillatim differere, in quæ laborantem fuiſſe proniorem ſuſpicetur.

3 Reg. Nihil e colloquio diſcenti facienda eſt conjectura ex ætate, &c.

4. Convenit autem ut illi ſub finem orationis ſignificet, ſe illi quæ meminerit peccata nequaquam exprobari; quippe qui ignarus ſit, num ea unquam perpetraverit; ſed ideo ſolum eorum apud illum mentionem feciſſe, ut eum in recordandis vitiis juvaret; et providentiæ Dei imputandum, ſi nullius conſcius, peccatum aliquod ſecretum ei in mentem opportunè revocaverit.

4 Reg. Amoveat ſuſpicionem iniquioris ſententiæ, dicatque cur hæc aut illa meminerit peccata.

5. Addat etiam Parochus, perparum referre quid homines de eo ſentiant,

5 Reg. Dicat nihil referre quid homines de pœnitentibus ſentiant.

tiant, modo ingenuam Deo peccatorum confeſſionem faciendo, veramque de eis pœnitentiam agendo, Deo innocens habeatur.

6 Reg. Silentium et ſalubre conſilium ſpondeat.

6. Quo viſitatus cum eo agat fidentiùs, et illi ſecretiores animi morbos, tanquam fideli medico, lubentiùs detegat; decebit Parochum pro indubitato dicere, ſe officio ſuo teneri, tum ad tacendum ea, quæ ſub ſigillo confeſſionis ſibi habuerit concredita; tum ad dandum ei conſilium, quàm poterit, ſaluberrimum; nec referre quidquam, notus ſit, an ignotus, qui conſilium petierit; cùm ab eo petatur, qui ratione officii omnibus, nullo habito perſonarum reſpectu, conſilio ſuo ſalutari ſubvenire debeat.

7 Reg. Ægrè confitentem ad alium confeſſorem mittat.

7. Si Parocho, ſilentium et ſalutare conſilium amicè ſpondenti, ſecreta ſua delicta timidiùs æquò revelârit viſitatus; moneatur alium aliquem verbi miniſtrum advocare, cui ex ipſius ſententiâ tutius innitatur: Paſtor enim, ſi ad hoc monendo ſibi fidem non conciliârit, amovebit ſaltem

tem ſuſpicionem, quam aliàs ægrotus poſſit de eo concipere; nempe, quod curiosè nimis aliena perſcrutetur.

8. Quoad reliqua ignotis inter viſitandum dicenda, et quoad preces pro eis fundendas, ex ſuâ ipſius prudentiâ, et regulis ad ſecundam claſſem reductis, diſcat unuſquiſque, cui viſitandi opus incubuerit.

Regulae ad quintam Classem pertinentes.

1 Reg. Qui visitarit eos qui animi angun-tur, in angoris causas inquirat.

I. Evenit nonnunquam, ut Pastori Evangelico agendum sit cum eis qui variis implicantur angoribus: et ad talem accersito, laborandum est in primis, ut veras angoris causas dignoscat; et in hunc finem, ægrum urgeat ad particularem peccatorum confessionem; alios de præteritâ illius vitâ interroget, et ex illi ministrantibus discat, quo ille modo quoad mundana sentiat et loquatur. Hinc enim pro certo scire licebit, num ille animi dolor cerebri morbo et spirituum ataxiæ, an vero peccatorum conscientiæ imputari debeat. Si à priori causâ fluxisse comperiatur, moneat ægrum ad medicorum opem confugere; eorum enim est istiusmodi malis mederi; spem faciat, ad pristinam animi quietem brevi

Si ab aliquâ cerebri læsione oriatur, ad medicum mittat.

brevi rediturum, ſi ad medicorum præſcripta ſeipſum compoſuerit: doceatque item ſedulo, et pro indubio dicat, Deum de illo olim judicium facturum, non juxta vitiatos ægrotantis conceptus, ſed juxta veros liberoſque rectè adhuc valentis mores, qui, qualeſcunque fuerint, ei nudi ſunt et plenè perſpecti.

Quæ dici oporteat in illius ſolatium.

2. Poterit etiam in præſens laborantis animi ſolatium, et in adſtantium utilitatem, de infinitâ Dei miſericordiâ differere: hujuſmodi enim diſſertationes, etſi læſo cerebro mederi nequeant, affectus tamen lenire et ad breve tempus pacare poſſint.

2 Reg. De Dei miſericordiâ differat.

3. Precum formulis in liturgiâ noſtrâ præſcriptis addantur et aliæ, caſui huic particulari prudentèr aptatæ: quod enim attinet ad precatiunculam, quæ juxta eccleſiæ noſtræ præſcripta fundi debet pro iis qui ſuis animis anguntur, nullum hic habebit locum; nec poterit accommodari, niſi eis qui acri ſcelerum ſenſu punguntur.

3 Reg. Novas preces addat præſcriptis, quare.

4. Si

4 Reg. Si dolor ex vitiorum ſenſu oriatur, ad confeſſionem urgeat, et quare.

4. Si ille animi cruciatus, de quo agimus, ex male-actæ vitæ conſcientiâ fluxerit; quærat tum Paſtor, quænam ſint peccata illa quæ mentem torqueant: quamdiu enim fuerint celata, nulla proderunt remedia; ſopiri poſſint dolores, non poſſe autem eos in ſolidum amoveri nos doceat experientia.

5 Reg. Magnâ utatur cautelâ in ſolutii adminiſtratione, quo caſu augendus ſit ægri dolor.

5. His autem cognitis, magna opus eſt cautelâ in ſolatii adminiſtratione: ei enim, qui vitiis ſe diu addixerit, aut grave aliquod peccatum prudens ſcienſque perpetraverit, dolorem, pœnæque metum augeri ſatius eſt quam minui: tali proderit conſcientiæ ſuæ verberibus aliquandiu torqueri. Paſtor itaque ſi cum tali rem habuerit, peccatorum atrocitatem exaggeret, tremendas Dei minas contra impios denuntiatas recitet; pœnaſque illas æternas, quæ in alterâ vitâ ſceleratos manent, prout poterit, repræſentet: ſi tamen aliqua

Quando illi ſpes erigenda ſit, et quomodo.

ſenſerit veræ pœnitentiæ ſigna, aut metuerit multùm ne æger in deſperationem incidat; non ante diſcedat

cedat quàm ſpem ejus nonnihil erexerit, dicendo, miſericordiam Dei eſſe infinitam, et ex Scripturis probando, Deum non ſolum poſſe, ſed et velle, peccatoribus vel graviſſimis ignoſcere, modo verè reſipuerint; Chriſtum Dei favorem pro talibus meruiſſe; nec eſſe nunc quod timeant, qui peccata ſua deſeruerint, et odio habuerint, quique præcepta Dei dilexerint, et juxta ea fideliter ambulârint.

6. Qui multum doluerit, animoque valdè dejecto fuerit, quod in leviora quædam delicta ex infirmitate inciderit, eſt ſtatim erigendus. Tali itaque applicet Paſtor promiſſiones in Chriſto nobis gratuitò factas: dicat miſericordiam Dei, et Chriſti merita, peccatis vel atrociſſimis remittendis ſufficere; magiſque multo levibus eis, quæ hominum ſanctiſſimis quandoque poſſint obrepere: huic dicat, noſſe Deum, quam ſit naturâ ſuâ infirmus, nec expectare ut eam perfectionem in hâc vitâ attingat, quam in cœlis aſſequuntur

6 Reg. Paſtor ſtatim erigat eum, qui eſt valde dejectus.

beati; ſatis eſſe, ſi gravioribus cautè evitatis, levioribus etiam pro virili, et quantum naturæ ſuæ imbecillitas patiatur, reſtiterit peccatis.

7 Reg. Quid dicendum ſit ei, qui lugeat, quod ob peccata ſua non ſatis doluerit.

7. Novi quandam, vitæ inculpatiſſimæ, mirè cruciatam quod ob peccata non ſatis doluerit; et tali, ſi fuerit viſitanda, dici conveniat, dolorem, licet laudabilis ſit, et ad pœnitentiam ſoleat conducere, non eſſe tamen ad hoc abſolutè neceſſarium; ut quem verè pœniteat, fixum peccati odium ad id ſufficere; ſenſitivum illum dolorem corporis temperiem ſequi, nec eſſe in uniuſcujuſque poteſtate, levibus delictis rariſſimè excitari; et ſi non multùm doluiſſe inter peccata numerari debeat, dolorem ob peccata ei neutiquam deeſſe, cum ob id ipſum vehementèr doleat.

8 Reg.

8. Angores, quibus ægri ſoleant confici, ſuum ortum frequenter debent falſis quibuſdam de Deo notionibus: ideoque Paſtoris erit, cum ægrum quemvis angoris levandi causâ acceſſerit, quibus fas fuerit veſtigiis

giis indagare, an rectè, an ſecùs, de Deo ejuſque attributis ſentiat; et ſi ex defectu quovis naturali in intellectu, ex pravâ educatione, aut incautâ librorum erroneis dogmatibus refertorum lectione, in gravem aliquem, et quieti noxium, errorem incidiſſe deprehenderit, doceat tum qualiter debeat ſentire; et ad probatos authores plenius inſtruendum remittat: dum enim eum retinuerit errorem, inde ortum ſui animi angorem haud facilè levarit æger.

Curet Paſtor ut æger de Deo ejuſque attributis rectè ſentiat.

9. Cautè diſtinguat Parochus, et dijudicet deſperationem quæ verè eſt peccatum, ab eâ ſpei abjectione quæ miſeria rectius dicatur. Altera infinitam Dei miſericordiam intra terminos coarctat; Deumque quibuſdam delictis non poſſe ignoſcere, non minus impiè, quam falsò, definit; ideoque non mirum eſt, ſi eam in extremis foventi inter ea reputetur peccata, quæ nulli unquam remittentur: altera autem cum verâ et ultroneâ agnitione immenſitatis divinæ miſericordiæ conſiſtit; neque autumant,

9 Reg. Diſtinguat deſperationem quæ peccatum eſt ab eâ quæ eſt miſeria.

qui eâ laborant, non poſſe, ſed nolle Deum gravioribus eorum peccatis veniam indulgere; et cum hoc ſibi habeant perſuaſum, non, quod Dei miſericordiam quibuſvis hominum delictis condonandis inſufficientem putârint, ſed, quod crediderint per admiſſa ſcelera ſe reddi illius incapaces, miſeranda potius erit quàm culpanda eorum ſors: et ut apud eos, qui priori deſperatione afficiuntur, illuſtranda eſt clementiæ Dei immenſitas; ita illis, qui poſteriori laborant, exponenda eſt ea Dei philanthropia, quâ pœnitentiam ſuadet peccatoribus, iiſque ſalutem ſempiternam exoptat: his in memoriam revocet graves illos piorum lapſus, qui in Scripturis memorantur; iiſque dicat Parochus, ſe non dubitare, quin ſi ſedulam pœnitentiæ operam navârint, ſint eam poſthac aſſecuturi ſalutem quam adeo nunc deſperare videntur.

Quid in utroque caſu dicendum ſit.

Quoad particulares eos conſcientiæ caſus, qui infirmorum animos turbare ſoleant, eorum determinatio

Paſtoris

Paſtoris prudentiæ neceſſariò erit relinquenda: cum enim innumeri ſint, nemo prudens præſumpſerit eos omnes recenſere, nedum docere quid quoque caſu dici conveniat. De duobus tamen meritò moneantur Parochi, nempe quòd in dubiis ſequi debeant quod tutius, quod paucioribus urgeatur incommodis; et quòd, ſcrupulo accuratè perſpecto, probatos libros, aut theologiæ caſuiſticæ peritos, priùs debeant conſulere, quam implicatum aliquem conſcientiæ nodum reſolvere audeant; nec eos pudeat iſtiuſmodi difficultatum ſolutionem in breve aliquod tempus rejicere: ſi quis enim in decidendo erraverit, in conſulentis noxam ſuumque dedecus ſua tendet reſolutio.

Directio generalis quoad caſus rarius occurrentes.

Regulæ 6. classis.

Regulae ad sextam Classem reducendæ.

1 Reg. Convaliturі etiam ſunt viſitandi: quid illis dici oporteat.

1. NON decet Parochum omnem infirmi curam abjicere, ubi primum ceperit convaleſcere; ſed quo illius animo firmius infigantur, quæ periculosè adhuc laborans inierat vota, boni erit Paſtoris quoad hæc illius memoriam refricare, ſeduloque docere, quàm non deceat, et quàm ſit plenum periculis, fidem Deo datam violare; et quàm ingratum ſit, poſt tot, tantaque à Deo accepta beneficia, in peccata illi odioſa relabi. Dicat hâc occaſione, poſſe Deum, quandocunque voluerit, mala amotis longè graviora inferre; ejuſque patientiam, ubi læſa eſt, in furorem frequentiſſimè converti; adeoque metuendum eſſe, ne gravis à tergo ultor in illum acriter animadvertat,

madvertat, ſi à promiſſis recedere audeat, et lenitate Dei abutatur.

2. Hortetur itaque ut votorum memor ſit, et de iis quotidie meditetur, ut ea frequèntèr renovet, atque divinam gratiam continuò imploret quò ea poſſit congruentèr præſtare. 2 Reg. Ad quid hortari eos convenit.

3. Nec ante diſcedat Parochus, quàm impetrârit veniam illi hæc vota in memoriam revocandi, ſi quando illum eorum immemorem in priſtina illa peccata, quæ contra ſtatuerat, turpiter relabentem perceperit: obtentâ enim hâc veniâ, poterit, ubi opus fuerit, ſine omni offensâ, correptione uti fraternâ; ejuſque tempeſtivo uſu aberrantem in viam reducere: neque enim validior eſt, aut gratior admonitio, quam quæ præviâ prius impetratæ hujus veniæ mentione amicè introducitur. 3 Reg. Impetret veniam refricandi illius memoriam, et quare.

4. Cohortetur etiam convaleſcentem, ut ſibi certam vivendi methodum præſcribat, et ſuis omnibus officiis ſtata tempora præfigat: fixorum enim temporum recurſus officiorum ſuis vicibus recurrentium admonebit, 4 Reg. Ad fixam vivendi methodum hortetur, et quare.

admonebit, eumque ad illa exequenda non invalidè irritabit. In quovis vitæ inſtituto, nugari potius putetur, quam quod ſuum eſt prudenter exequi, qui pro dubio ingenii deſultorii motu ad vocationis ſuæ munera incertò feratur; et in ea vivendi rectè diſciplinâ, de qua nunc agitur, qui ex ſubitaneo impetu levis et ſibi minimè conſtantis animi, nunc hoc, nunc illo defungitur officio, incertus quid quoque tempore agatur, ab inſtituto ſuo facilè et frequentèr deſiliet, neque unquam in pietate inſigniter proficiet. Convaliturum itaque admoneat Paſtor, ut quod reliquum eſt vitæ, juxta ſecuturam methodum, aut aliam aliquam illius ſimilem, tranſigere ſecum conſtituat; ita nimirum, ut primo quoque manè Deo habeat gratias quòd elapſæ noctis pericula evaſerit, et ad præſentem diem tutus pervenerit; ut Deum ſuppliciter roget tutamen ab omnibus, quæ aut animæ aut corpori inſidientur, malis; ut ſanctè et ſeriò renovet, quæ prius unquam inierat piè vivendi

Ad qualem methodum hortetur.

vivendi vota; ut ſeriò ſecum cogitet, quæ eo die virtutem aut promovere poterint, aut peſſundare, utque eis indulgere ſtatuat, hæc autem pro virili vitare; ut unoquoque profeſto die vocationis ſuæ operibus gnaviter incumbat, eaque ſedulus devitet peccata, in quæ aliis ejuſdem occupationis impingere ſit ſolitum; ut in oratione ſit frequens, et ſi per negotiorum turbam, ſolennioribus nequeat vacare, ut ſaltem ejaculatoriis precibus ferè continuò utatur; ut juſtitiæ et miſericordiæ opera pro facultate ſuâ exerceat; ut, cum ad menſas lautè inſtructas accedat, intra veros temperantiæ cancellos ſe ſemper contineat; ut vitioſos omnes cogitatus reprimere laboret; ut ſuis ſenſibus cautè invigilet, ne in illicita vagentur, aut prohibitis morosè delectentur; ut diem claudat unamquamque accuratè recordando quæ benè, aut ſecus egerit, pro illis gratias referendo, pro his veniam obnixè poſtulando, et demum, divinam protectionem implorando adverſus

mala, quæ ei noctu immineant; ut in quâlibet ſeptimanâ ſtatum aliquem diem (ſi per negotia id licuerit) jejunio, orationi, meditationibus piis, vitæque ſuæ examini dicet et devoveat; ut eo ſaltem die ſuæ animæ impendat curam, vitamque anteactam ad trutinam ſeverè examinet; ut graviores lapſus, eorumque occaſiones notet, et ſcriptis etiam conſignet, nè memoriâ illius excidant; ut quolibet die dominico eccleſiam ſuam parochialem frequentet, et debitâ animi devotione eis interſit ſacris quæ ibidem peragentur; ut à publico fidelium cœtu reverſus eas devitet animi relaxationes, quæ aut pietati poſſint officere, aut aliis ſint ſcandalum daturæ; toto deinceps die precibus, lectioni ſacræ, piis meditationibus, utilibus colloquiis, liberorum et famulantium inſtructioni, et id genus officiis unicè vacaturus; ut in aliis eccleſiæ feſtis, ſe piis ſuperiorum inſtitutis, prout poterit, accommodet; et operibus non neceſſariis in aliud tempus rejectis, Dei

laudes,

laudes, ob beneficia pro eo tempore ſpeciatim recolenda, publicè, privatimque celebret, et eorum virtutes imitetur, in quorum memoriam eccleſia feſtum celebrârit; ut diebus jejunio, publicæque humiliationi dicatis, remittat aliquid de ſolitis animi oblectamentis, ſuam indignitatem agnoſcat, et mala, quæ aut ſibi aut publico meruerunt peccata, humillimè deprecetur; et demum, ut his aliiſque omnibus ſuæ vitæ diebus de morte, et judicio, et cœlis, et de inferorum pœnis meditari meminerit.

Regulae ad septimam Classem reducendæ.

Visitandi etiam aliquando qui ad rationis usum nondum pervenerunt.

NON infrequentèr accidit, quòd Parochus ad eos accersatur, qui ob annorum quos vixerint paucitatem, nec vitii fuerint, nec consilii capaces. Et licet infructuosus esse videatur, et minimè necessarius ille omnis labor, quem illis ægrotantibus insumit Pastor; accersitum tamen etiam ad illos accedere decebit, ne illius opem petentibus displiceat, suumque ex socordiâ officium prætermisisse dicatur. Et quamvis visitanti illum, qui loqui vix dum didicerit, nihil ultra incumbat, quam ut preces in liturgiâ præscriptas pro eo devotè recitet, aliasque addat precatiunculas, infantili ægrotantis statui, et illius parentum circumstantiis, piè et prudentèr accommodatas; ac ut parentes datâ operâ consoletur,

Quid Parocho incumbat cum infantes visitaverit.

et

et ad mortem filioli, ſi obtigerit, pacato animo ferendam hortetur; dicendo nimirum, quòd certi eſſe poſſint de ſempiternâ illius ſalute, ſi dum innocens permanſerit ex hac vitâ migraverit;—quòd inter ſummas fœlicitates numerari debeat, ſi quis futuræ beatitudinis capax certuſque, favore Dei ſublatus ſit ex vitæ hujus ærumnis, periculiſque illis numeroſis, quæ corpori animæque moleſtias afferant, et ruinam minitentur; —quòd æquiſſimum ſit, ut, quem mutuo acceperint infantem, ſuo Domino repetenti non gravatè reſtituant;—quòd renitendo præſentem ſuam miſeriam certiſſimè aucturi ſint, et ad graviora mala immitenda Deum provocaturi; cùm benigni numinis favorem ſibi conciliare poſſint, et veriora bona aut in hoc ſæculo, aut in futuro, tanquam patientiæ præmia, fidenter ſperare; ſi, ut in hoc caſu decuerit, voluntates ſuas ad divinam conformarint, et exitum, quem Deus malo præſenti dederit, æquanimiter pertulerint.

rint: Licet, inquam, universum Parochi, dum infantes visitet, officium in dictis contineatur; hortarer tamen illum ad alloquia etiam procedere, quoties pueros paulo grandiores inviserit; eos puta, qui orationes aliquas recitare edocti sint, et in primis religionis christianæ articulis aliquantulum instructi. Et si apud talem gravi morbo correptum, vultu priùs ad serenitatem composito, inquisitionem fecerit aliqualem in sensum quem puerulus de futuris habuerit; et deinceps dixerit Parochus quæ ipse senserit de immensis sæculi alterius gaudiis; — de securâ illâ ab omnibus, quæ corporis animæve saluti sunt verè inimica, immunitate, qua post hanc vitam gaudebit;—de beatificâ Dei visione, et suavissimâ angelorum sanctorumque societate, quibus in cœlis in æternum fruetur: si de his, inquam, et similibus fusè et perspicuè differuerit, circumstantibus poterit prodesse, ipsique etiam ægrotanti puero. Hâc enim methodo (pulsis qui mortem nimiùm timeri

Paulò grandiores alloquatur, et

Quo modo.

timeri faciunt erroribus) eas puerulo inculcabit veritates, quæ ejus animum ad tempus aliquod demulcebunt; quæ mortis metum imminuent, ſi aliquod moriendi ſtudium non item accenderint. Salutatione itaque blandè peractâ, talem ita affari poterit;

Nolim, mi puerule, te mortem metuere; neque enim metuenda eſt illis, qui ex hâc vitâ innocentes deceſſerint: eſt quidem impiis, cruciatuum, qui illos in futuro ſeculo expectant, triſte horrendumque præludium; at intaminatis, viam aperit ad gaudia adeo immenſa, ut ſi verè eſſent tibi nunc perſpecta, et plenè apprehenſa, tuam animam è corpore confeſtìm evocarent; tantum abeſt, ut ferre ea poſſit quiſquam, qui hic agit mortalis. Tua anima, ubi ex hoc carcere liberata exierit, ad Deum qui creavit illam redibit, ad eum ſine morâ revertetur, cui tu charior, quam es tuis quos hic habes parentibus: neque enim illi capaces ſunt amoris, quantum erga innocentes habet cœleſtis

leſtis Pater. Tunc perpetuâ Dei præſentiâ, quâ nihil magis beatificum, fruêris; ſocioſque habebis, non quales ſunt quos hic habuiſti colluſores, qui nugis et mendaciis tibi vitæ tædium minuerunt, et ineptis ſuis blanditiis riſum tibi aut hilaritatem moverunt; ſed angelos et ſanctos, quorum intenſus amor et charitas diffuſiſſima, quorum ſublimes et veriſſimæ ſpeculationes, quæ tibi ſemper patebunt, quorum ardentes ad Deum preces, et ſincera erga ſummum ſuum benefactorem gratitudo, te perpetuis perfundent voluptatibus. In inſtanti tum, et ſine omni prorſus labore, tu eam aſſequêris ſcientiam, quam ut ſibi nunc acquirant, multi (ſed incaſſum) ſua corpora vigiliis emacerant, et meditationibus nimium intenſis ſuos animos delaſſant et enervant: tum mirandam hujus univerſi fabricam, nulli adhuc mortalium ſatis intellectam, tu plenè perſpicies: tum dignoſces veras rerum et eventuum cauſas, quæ accuratiſſimas doctorum diſquiſitiones hactenus fugêrunt

gerunt: plurimumque tunc gaudebis, te iſtis expeditum erroribus, et circa Providentiam difficultatibus, quæ malè occupatos mortalium animos huc uſque tenuerunt implicitos. His et ejuſmodi gaudiis abunde cumulatus te ſenties beatiorem, quàm eſſe tibi hic liceret, quamvis omnia tibi ex voto fluerent; quamvis eſſes hominum ſapientiſſimus; quamvis ſummos aſſequereris honores, ſummaſque opes ſecurè poſſideres, et optatiſſimis mundi voluptatibus undiquaque diffluères: ideoque tum maximas Deo habebis gratias, et amorem illi quantum poteris reponès, quòd tibi dederit brevi et fœlici curſu conficere iter, quod aliis longum eſſe ſcies, et permoleſtum; quòd voluptatum adeo ingentium tam cito te fecerit participem. Neque corpus tuum diu in ſepulchro detinebitur ab illis quorum capax ſit gaudiis: licet enim in terrâ aliquandiu obdormiet; præſtituto tamen à Deo tempore certiſſimè reſurget, non quale nunc videmus, victûs, et veſtitûs, ſomni et

medicinæ indigum, multis ab intra morbis, ab extra caſibus obnoxium, et corruptioni ſubjectum; ſed glorioſum, et ex immenſo favore Dei, qui illud ſuo tempore ſuſcitabit, craſſioris (quali nunc conſtat) materiæ legibus ſolutum, omnis indigentiæ expers, doloris incapax, et ab omni interitûs periculo liberum et immune: tale illud ſuæ animæ tum demum in æternum unietur, et in gaudium Domini tu totus intrabis: tunc tui oculi æterno potientur die, et lucem radiis ſolaribus clariorem, et mortalibus non ferendam, illæſi ſpectabunt; tum oculis tuis, at mirè perfectis, et verè nobilitatis, ſtupendam cœli ſtructuram, et miranda ejus ornamenta contemplaberis; glorioſa ſuſcitatorum corpora glorioſus ipſe et lætabundus aſpicies; ipſumque mundi ſalvatorem (cujus ineffabili amori ea omnia debentur gaudia) videbis, et vultu, ni fallor, multo lætiori, quàm quo unquam ſodalem quemvis dilectiſſimum aſpexiſti: videbis item, non iterum à te ſeparandos

dos parentes, alioſque omnes quos in terrâ dilexiſti; ſi ii verâ in Chriſtum fide, et ſincerâ penitentiâ cœleſtium gaudiorum ſe capaces reddiderint; tum tuis auribus avidiſſimè ebibes cœleſtis chori dulciſſimos ſonos, et inerrabilem ſacri cœtus harmoniam tu ipſe lætiſſimus adaugebis; dum numinis immenſam bonitatem, infinitam ſapientiam, et interminatam potentiam, et cætera ejus attributa cum illis una celebrabis; dum Patris, Filii, et Spiritûs ſancti laudes, grato animo, et ſuavi voce, cum illis ſimul reſonabis: illo fœlici loco exulat, mi puerule, quicquid quietem poſſit turbare, aut tuis auribus moleſtias afferre: non illic audies confuſos turbarum ſtrepitus; non inamœnos militum clamores; non triſtes cladium nuntios; non indecora litigantium jurgia; non profanas blaſphemorum voces; non mendacia invidorum dicteria; non moleſtas garrulorum ineptias: quicquid illic audietur, amorem ſapiet et gratitudinem, tuamque beatitudinem mag-

nopere promovebit: ut paucis dicam, ubi beatam illam regionem incoluëris, omnes animæ corporiſque facultates ſupra optatum perficientur; et objectis, quæ eis fuerint gratiſſima, ſine omni tædio in æternum ſatiabuntur. Et nunc velim, mi puerule, ut dicas, an non præſentem hanc vitam futurâ illâ libenter commutares; an non malles, ſi tibi optio nunc daretur, ſtatim ad Deum properare, quàm vitam ulterius protrahendo, te iſta gaudia amittendi periculo exponere?

Hortari etiam poſſit Parochus hujuſmodi puerulum, ut indeſinenter recitet, quas ſuâ memoriâ retinuerit, precatiunculas, et præſertim orationem dominicam, quæ tanquam in brevi tabulâ eas omnes in ſe complectitur petitiones, quæ Deo offerri debeant.

APPENDIX

APPENDIX de variis Modis adducendi ÆGROTOS ad Agnitionem, et ubi fuerit neceſſaria, ad Confeſſionem Peccatorum.

LICET nullum extet mandatum Dei, quo quis teneatur, ſacerdoti cuipiam ea omnia revelare peccata, quæ in Deum, in proximum, et in ſemetipſum ſecretò unquam admiſerit; eſt tamen neceſſarium, atque equidem virtute præcepti divini, ut quiſque ſuam conſcientiam diſcutiat, et quò latentia ipſius vitia accuratiùs dignoſcat, ut juſto eam examini ſubjiciat. Et conveniat etiam non raro, et cujuſlibet ægroti magnopere interſit, ut ſecretiores ſui animi morbos fideli Parocho tanquam ſpirituali medico detegat, et expendendos denudet; caſus enim quam plurimi

Privatæ examinationis conſcientiæ neceſſitas, et confeſſionis utilitas.

rimi occurrunt, in quibus, qui eos cautè dissimulaverit, consilium sibi salutare à nullo jure expectaverit.

Plerique ab utrâque abhorrent.

At homines plerique ad justam hanc et necessariam suæ salutis curam ità animati sunt, ut rarus occurrat, qui lubenti animo, aut subeat onus se ritè discutiendi; aut posito pudore malo, Pastori ea detegat conscientiæ vulnera, quæ, ut sanentur, denudari oporteat.

Pastori adnitendum ut ægrotos ad utramque adducat.

Atque ideò unicuique qui curam habet animarum magnâ opus est prudentiâ, ut istiusmodi homines ad ingrata hæc officia vel invitos possit pertrahere; ut velint illi nolintve, adducat tamen illos ad agnitionem peccatorum; et ut ipse, utcunque illos celaverint ægroti, de pristinis tamen eorum moribus assequatur notitiam, quæ ad hoc fuerit necessaria, ut consilio suo prodesse illis poterit.

Dictu difficile quâ id methodo fiat.

At quâ demum methodo procedendum sit Pastori, ut ægrotum quemvis, per se plus satis aversum, ad justum suorum delictorum sensum adducat, et ut ipse callidè expiscetur, quæ eum scire conveniat, haud facile

cile definierim. Quum enim qui respuant multùm, et aversentur debitum conscientiæ examen, et datâ operâ celent, quæ detegere debeant peccata, variis agantur motivis, vix unâ eâdemque methodo ad officia poterint adduci; imo juxta varia, quæ eorum animos impulerint, motiva, variè erunt tractandi, atque his gradibus Parochum procedere hortarer. Ut,

Variis gradibus procedendum est Pastori.

Quinam sint.

1. Primum experiatur, quid valeant generaliores illæ exhortationes, quibus quemlibet ægrotantem ad accuratum suæ vitæ examen movendum esse admonui.

1. Per exhortationes generales.

2. Secundo, ut interrogationibus quales antea descripsimus utatur, nisi eas frustrà fore præviderit: et si illarum ope parum apud ægrotum profecerit; ut,

2. Per interrogationes.

3. Tertio, agat pleniùs et explicatiùs de absolutâ necessitate illius quod suaserit scrutinii, deque illius utilitate, atque etiam de commodis, quæ ex liberâ et apertâ admissorum confessione, non immeritò sperare poterit. Differatque etiam de imprudentiâ,

3. Per ostensionem necessitatis et utilitatis examinis et confessionis.

dentiâ, ſeu potius dementiâ eorum, qui ſocordiâ, metu, pudore, aut aliâ quâvis causâ impediti, officiis tam neceſſariis, tam utilibus defuerint.

4. Per inquiſitionem in impedimenta, et eorum amotionem.

4. Quarto, ut quærat quâ poterit diligentiâ quid maximè obſtet, quo minus velit ægrotus, aut anteactam vitam ſecum in animo recolere; aut detectos illius errores Paſtori, certiſſimè tacituro, et optimum illi conſilium daturo, revelare; eique impedimento, quodcunque fuerit, amovendo operam inſumat. *E. g.* ſi ægrotus vitæ ſuæ examinationem ideo diſtulerit, quod ignavus ſit, et omnem prorſus laborem refugiat; tum Paſtori omni operâ adnitendum, ut eum è veterno excitet, et ad laborem ſtimulet, torpentem: et in hunc finem ita illum affari poterit.

Quid dicendum ubi impedit ignavia.

Scias, mi Frater, non poſſe intrare cœlos qui non vere reſipuerit, et pro certo habeas, non poſſe eum veram agere pœnitentiam, qui ſuam conſcientiam accuratè non diſcuſſerit. Qui enim eſt verè pœnitens luget admiſſa ſcelera, ea odio proſequitur

quitur, contra ea ſtatuit, eorum veniam Deum rogat ſuppliciter, et prout potuerit, ſatisfacit omnibus quibus unquam intulerit injurias: quæ tamen præſtare nequit, qui tantum abeſt, ut peccatorum ſuorum malitiam, atrocitatem, et pœnas expendat, ut conſcientiâ nondum diſcuſsâ ne noverit quidem quæ illa fuerint. Age igitur, nocivam pone inertiam, et jam tandem ſtrenuè adnitaris cum metu et tremore ſalutem tuam operari: in memoriam quantum queas revoces, quæ unquam deliqueris, nec te tædeat laboris: erit enim levior quam fore eum ſuſpicaris; et ſi gravior fuerit, eum tamen tolerare debes: et invicto animo perferre poteris, ſi hinc ritè æſtimes ingens illud præmium, quo poſt hanc vitam in æternum compenſabitur; atque inde ſeriò perpendas infinitas illas inferorum pœnas, quibus in omne ævum cruciaberis, ſi laborem illum ex ſocordiâ jam detrectaveris. Quid, obſecro, mi Frater, ſentires ipſe de eo, qui de omni aliâ ſe locupletandi occa-

sione incertus, oblatam ideò dimiserit, quod omnem aversetur laborem? nonne ignavum diceres? et culpandum potius quam miserandum putares, si gravi eum inopiâ conflictantem videris: et ni fueris iniquus rerum æstimator, sententiam in temetipsum feres nihilò mitiorem, imo multò severiorem, si indormieris tempori, quo debeas, et possis, salutem tuam sempiternam operari; si præsenti tempore, ad cogitatus vanos, otiosa verba, aut illicitas actiones, abutens, segnis fueris ad ea, à quibus tua æterna fœlicitas necessariò dependeat: quæ ejusmodi sunt, ut si præstiteris, de salute obtinendâ securus esse poteris; sin omissa fuerint, illius certissimè futurus sis incapax. Te igitur jam demum excites, et hoc quicquid est operis jam fortiter aggrediaris: ne metuas onus; ab eo enim te ex parte levabo: nam paratus sum, si ita cupias, vel recitare tibi accuratum aliquem vitiorum catalogum, vel percurrere præcepta Dei, et recensere vitia, quæ in eorum quolibet pro-

Pastor auxilium suum polliceatur, quo operis laborem ægroto minuat.

prohibeantur: atque hoc lubenti animo facturus sum, non ut tibi astu extorqueam, quæ celari cupias secreta; sed ut te in recordandis vitiis amicè adjuvem; ut tu faciliùs devenire possis in cognitionem peccatorum, quæ Deo confiteri debeas. Pergat deinde Parochus, quâ velit methodo, memorare ea omnia delicta, quibus in utramque decalogi tabulam peccari possit; et præsertim ea, in quæ aut vitæ institutum, aut prædominans corporis temperies, ægrum procliviorem reddiderit.

Quid dicendum ubi impedit angoris metus.

Si ægrotus à debito suæ vitæ examine suo animo ideò abhorruerit, quòd vereatur, ne monstrosus deformitatum aspectus terrores illi incutiat; dicat tum Parochus, ea animi terriculamenta, quæ ingratam delictorum recordationem consecutura credat, facilius longè tolerari, quam quæ aliàs eum in æternum inquietabunt; neque esse viri prudentis, ut devitet illa, se his exponere. Atque eum ità ulterius alloquatur. Si quis medicinæ peritus tibi gravi morbo

laboranti ingratum aliquod pharmacum propinaret, haurires avidè, nec reſpueres propter ſaporem minus gratum, quem neceſſariò habeat ut tibi fiat ſalutiferum. Si quod grave vulnus acceperis, refricari illud, et ad vivum reſecari lubenter patereris; nec medicas abhorreres manus, quas ſaucio corpori firmitatem allaturas credideris, quòd acerbum aliquem dolorem afferant. Quorſum itaque remedia, quibus morboſus animus in integrum reſtitui, et ſaucia conſcientia ſanari poſſit, propter eorum acerbitatem negligis, et averſaris? an minoris æſtimas animæ quam corporis ſanitatem? an poſſe ſine hâc curâ convaleſcere exiſtimas? hinc certè atque inde periculosè erratur: anima enim eſt corpore multò præſtantior, ejuſque ſalus hujus ſanitati eſt longè præferenda; nec meritò ſperari poterit, niſi dictâ methodo ad eam contendatur. Age igitur, et anteactam vitam diligenti ſubjice ſcrutinio: moleſtiæ, quas adeò nunc exhorreſcis, ut neceſſariò

fuerint

fuerint ſubeundæ, ita erunt ſalutares, et tandem convaleſcente animo, in quietem non aliter obtinendam deſinent; et cum hanc fueris conſecutus, te iſtas meminiſſe haud parum juvabit.

Quinto, ut aliquem peccatorum ſenſum ægroto imprimat uſu Litaniæ, in hunc finem ita componendæ, ut in eâ uſitatiora hominum delicta expreſsè nominentur, dum pro iis venia rogetur, aut adverſus illa Dei gratia imploretur. Et poſſit Parochus hujuſmodi Litaniæ, pro re natâ, inſerere petitiones de vitiis minus uſitatis, ſi ægroto expedire ſenſerit. 5. Gradus per Litaniam.

Quivis ferè ægrotus poſſit his artibus adduci ad aliquam conſcientiæ ſuæ diſcuſſionem: nec fieri poteſt, quin his modis tractatus ſuum ſentiat reatum; et ſaltem apud ſe agnoſcat, ſi quando admiſerit, quæ omnes inter peccata numerant, quæque nemo unquam ſine aliquâ animi reluctantiâ perpetraverit: cujuſmodi ſunt, perjurium, homicidium, adulterium, latrocinium,

latrocinium, et id genus graviora ſcelera. Et quoad illa delicta in quæ homines ſoleant quotidiè, et ſine ſcrupulo irruere, quæque vulgò pro nullis, aut levibus tantùm peccatis habeantur; quod genus ſunt quæ in animo compleri poſſint, ut ira, ſuperbia, invidia, et omnes iniqui cogitatus; ut etiam læſio proximi quoad famam, per eloquia illa vera quæ nec vendicet juſtitia, nec poſtulet charitas; fraudes illæ minores quæ in emptione et venditione mercium ubique poſſint obſervari; aliorum ad ebrietatem, aut aliud quodvis vitium provocatio; frequens precum publicarum, et Euchariſtiæ neglectus; operum charitatis omiſſio; debitæ reſtitutionis dilatio; et, ut verbo dicam, pleraque omiſſionis peccata; et quoad hæc, inquam, ſentiet neceſſariò, qui dictis tractetur modis, ſi quando ea admiſerit; at fortè tamen non ideò ſe reum agnoſcet: cum enim ea ſemper pro licitis habuerit, non facilè induci poterit, ut peccata eſſe fateatur: atque ideò ſi quæ Paſtori

ſtori ſit ſuſpicio ægrotum, quem inviſerit, eorum aliquod tanquam innocuum admiſiſſe; decebit eum de illo ſpeciatim tractare, et malitiam ejus oſtendere: et in hunc finem ea indicet Scripturæ loca, quibus id expreſsè aut implicitè prohibeatur: doceat illud, omnium theologorum calculis, tanquam morte eternâ dignum damnari; et vitioſis imputandum affectibus, ſi ipſe aliter ſentiat: dicat, non profuturum illi ad tribunal Dei coacto dicere, quòd licitum putarit; quòd plerique id ſine ſcrupulo patrârint; aut quòd nullâ fuerit humanâ lege prohibitum. Dicet enim tremendus Judex, et ſua ipſius atteſtabitur conſcientia, Deum illi legem fixiſſe, moreſque ejus ad eum fuiſſe componendos, non ad hominum exempla, aut humanas leges. Ei vitio vertendum quòd legem neſcierit, nec excuſare affectatam illius ignorantiam, ſi imprudens contra deliquerit.

Quo modo tractandi qui ſcelera admiſerunt, quæ tamen peccata eſſe non agnoſcunt.

Si ægroto defuerit voluntas confitendi peccata, quæ, ut rectè ei con-

De eis qui confiteri nolunt peccata quæ revelari oporteat.

consulatur, revelari oporteat; inquirendum est Parocho, quam ille ob causam ea nolit detegere; an, quòd puduerit dicere, quæ patrare non erubuit; an quòd vereatur, ne confessarius ex malitiâ, aut culpandâ levitate, ea aliis quandoque revelet; an demùm, quòd metuat ne Pastor, si secretiorum criminum factus sit conscius, de eo malam opinionem concipiat. Si malus pudor à dicendo reprimat, quem bonus à patrando non repressit; tum Pastor ita eum affetur. Fideli medico morbos maximè erubescendos non ægrè detegeres, si de corporis salute tu eum consuleres. Si te quispiam in jus traheret, aut tu alium in jus provocares, jurisperitum, cujus consilio inniti velis, minime celares quæ in re faciant; imo, nisi esses imprudens, omnes quos in causâ tuâ tuipse sensëris defectus ei ultro indicares. Quidni et latentia animi vitia ei manifestes, quem de salute animæ tuæ consultum cupias: is certe casum tuum miserebitur, non ridebit; docebit,

Quid dicendum ei, qui a confessione per pudorem impeditur.

cebit, ut peccata eluere, et à deriſorum notitiâ celare poſſis; non ruborem tibi inducet, propalando aliis quæ abſurdè aut ridiculè feciſti.

Si ægrotus metuat ne Confeſſor credita illi ſecreta detegat, et ideò confitentis munus obire noluerit; in iſto caſu ità eum alloquatur Parochus. Non eſt, mi Frater, quòd metuas me aliis ea dicturum, quæ ex te in confeſſione audierim: nullâ enim prece, nullo pretio induci potero, ut iſtud faciam: dignus ſanè eſſem qui morte vel ignominioſiſſimâ mulctarer, ſi prodidero quæ mihi commiſeris ſecreta; ſi modò iſtiuſmodi fuerint, ut ſine peccato ea celare potero: atqui hoc dico, non ut ſecretum aliquod tibi extorqueam; neque enim cupio ut mihi dicas quod ipſe velis celari; ſed, ut cuivis alteri, cui tu ſecuriùs confidas, ea detegas, quæ, ut daturo tibi conſilium, nota ſint, è re tuâ manifeſtò fuerit. Eligas quem velis confeſſarium; at ex amore moneo, ne eum celes, quæ niſi noverit, conſilio

Quid illis ſit dicendum, qui impediuntur metu ne ſecreta ſua à Paſtore propalantur.

ſilio ſuo tibi parum proderit. Fruſtrà enim à medico, qui morbum quo laboras neſciat, ſalutaria ſperes remedia: nec meritò à Paſtore tuo profuturum expectes conſilium, niſi verum tui animi ſtatum penitius noverit.

Quid eis ſit dicendum, qui impediuntur metu ne famam apud Paſtorem perdant.

Si ægrotus à debitâ peccatorum revelatione abhorreat, quòd vereatur, ne eis ex ultroneâ ſuâ confeſſione notis, malâ apud Paſtorem laboret famâ; tum illi dicat Paſtor, non eſſe quòd id metuat; imo, quòd certus eſſe poſſit, illum omneſque alios meliùs ideò de illo ſenſuros: quò accuratiùs enim, et lubentiùs ſua peccata fuerit confeſſus, eò certiùs pœnitentiæ ſuæ indicium præbuerit; et apud omnes pro innocente habetur, quem peccaſſe vere pœniteat. Dicat autem Parochus, ſe non monere, ut ſibi, aut alii cuivis ſua omnia delicta confiteatur; ſed ſolum ut alicui, cui velit, ſacerdoti ea fateatur, quæ ſciri convenit, ut conſultus rectè ei poſſit conſulere: quoad cætera, ſatis eſſe,

ſi

ſi Deo illa privatim fateatur, et in futuro cautè evitârit. Et ſicut privatâ hâc quæ Deo facta ſit confeſſione, et cautâ priùs admiſſorum evitatione, poſſit quivis peccator Deo in gratiam redire; ità ſibi confeſſoris amorem, et bonam, ut ita loquar, opinionem certiſſimè conciliaturum, qui privatiora ſua peccata ei lubens confitetur, et emendationem ſeriò pollicetur: imò, ſi promiſſis ſteterit, et vitam verè emendaverit, quòd de eo gaudebit magis, et meliùs ſentiet, confeſſarius, quam ſi nunquam peccâſſet. Ut enim gaudium erit in cœlis ſuper uno peccatore pœnitente, magis quam ſuper nonaginta et novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ; ita et in terris, ſaltem apud cordatos homines, pioſque animarum curatores, major erit lætitia ſuper uno peccatore, ſua delicta humiliter confitente, quam ſuper ingenti numero juſtorum, quibus nulla incumbat neceſſitas peccata ſua ſecretiora detegendi.

Si ægrotus immotus perſtet, neque dictis argumentis flectatur quidquam ad detegendum, quæ, ut recte ei conſulatur, confiteri debuerit peccata; tum ita eum alloquatur Parochus.

Sunt quædam, mi Frater, crimina, quæ nulli poſſunt ſine periculo aperiri; quoniam nulli licitum ſit reticere ea, ſi in illorum cognitionem quocunque modo devenerit: cujuſmodi ſunt homicidium, læſæ majeſtatis crimina, et quæcunque alia, quæ ut propalentur, plurimum reipublicæ interſit. Neque te hortor (ſeipſum enim prodere nemo tenetur) ut ejuſmodi delicta, ſi quando admiſeris, aut mihi aut alii cuivis confitendo, te temerè in periculum conjicias: moneo tamen quoad hæc, et quoad alia quævis delicta, à quorum juſtâ et debitâ detectione, aut pudore pravo, aut iniquo metu impediaris, ut prudenti alicui animarum curatori, ea ſub tertiâ aliquâ et indefinitâ perſonâ ſignifices: et ex eo quæras diligenter, quid homini iſto-

iſtorum reo faciendum ſit, ut ſalutem aſſequatur: poſſis per literas, celato tui nomine, adeoque abſque omni infamiæ metu, aut ſupplicii periculo, tuæ animæ ſtatum cuivis expendendum proponere, et ſanum quod is dederit conſilium repoſcere: aut ſi verbis ore prolatis agendum ſit, quòd per corporis tui debilitatem, aut per tuam in ſcribendo imperitiam, literis conſignare nequeas quæ velis innoteſcere, poſſis tum tam tectè loqui, ut nequeat Paſtor ex tuis dictis pro certo ſtatuere, te unquam iſta perpetrâſſe crimina; dicendo nimirum, te intimè noviſſe hominem, quem hoc, vel illud admiſiſſe ſcis, aut ſuſpicaris: et cum omnia illi fœliciter optâris, te, dum vixeris, pro virili curaturum, ut exequatur quicquid illum decuerit: et in hunc finem te velle ex eo ſcire, quid cuiquam, qui talia admiſerit, daturus ſit conſilium. Aliquam fortè de te ſuſpicionem in conſulti animo hoc pacto excitabis; at non poterit, licèt impiè voluerit, aut dicta tibi

crimina

crimina exprobrari, cùm eorum non ſit conſcius; aut ea ad tui dedecus et notabilem noxam aliis patefacere: omnibus enim ſe meritò ridendum præberet, et juſtam tam imprudentiæ quam infidelitatis notam ſibi certò inureret, ſi conſulentis dicta in ſequiorem partem interpretatus, ex levi ſuâ ſuſpicione, ei datâ operâ, in re quâvis nocere laborârit.

Duæ

Duæ generales Formulæ alloquendi Ægrotos, à reverendo Viro, Benedicto Scroggs, S.T.D. conſcriptæ, et inter ejus Scripta poſt immaturum illius Obitum repertæ.

NOSTI, mi Frater, quam ſit neceſſarium pœnitentibus omni tempore, et præſertim in extremo mortis articulo, peccata quæcunque fas eſt ſingula in mentem revocare, et coram Deo confiteri. Nam ut in genere nemo peccat, ſic de peccatis in genere nemo verè pœnitentiam agit; et fruſtrà totam peccatorum molem, uno impetu doloris, evertere aut eradicare ſperes. Præterea, quicunque in judicio ſiſtitur reus, de factis particularibus accuſatur, nec

ulla

ulla ſine certo crimine poteſt actio intendi: ſtatuas ergo tibi ipſi in conſcientiâ tuâ tribunal, et quantum potes, contra teipſum ſtrenuè et ſeverè accuſationem tuam urgeas: nocet enim in hâc re, et crudelis eſt miſericordia: et hoc modo ſi teipſum judices, à Deo, ut aiunt Scripturæ, poſthac non judicaberis. Sed ut rem tanti momenti meliùs perficias, neceſſe eſt aliquâ methodo utaris, quâ memoriam ita reficias, ut nulla te crimina, ſaltem graviora nulla te lateant. Facile eſt tibi, quamvis ægrotanti, decem mandata generalia in mentem revocare, et quæ ſub illis directe continentur, et quæ ad illa reduci ſolent, animo ſingula percurrere. *E. g.* hic vel inſtantiam in aliquo mandato miniſter oſtendat; vel ſi poteſt, et convenire judicet, mandata omnia breviter recenſeat, et quæ ſub illis officia continentur; et deinde ita procedat. Tu verò, mi Frater, quoties te peccati alicujus reum inveneris, quod ſæpè, ni fallor, eveniet, illud omnibus

bus circumſtantiis, quæ crimina aggravare ſolent, deformatum animo perpendas; te nempe reclamante conſcientiâ, te gratiâ divinâ armatum, te crimen hoc divinæ erga te clementiæ immemorem, et ingratum perpetraſſe: et poſtquam hæc omnia perfeceris, ne tamen adhuc aliqua te delicta lateant, utinam hæc tria peccatorum genera peculiari ſcrutinio ſubjiceres.

Primò, vitia illa, quæ vitæ tuæ inſtituto propria ſunt; in quibus veriſimile eſt te ſæpius quam in aliis peccaſſe: atque idem ego ipſe facerem, ſi Deo volente de vitâ periclitarer; de hâc re imprimis ſollicitus, quid unquam ſive negligentiâ, ſive malâ fraude, circa miniſtri officium deliquerim.

Secundò, in illis etiam examinandis particularem adhibeas curam quæ ab ipſa corporis tui temperie poſſint originem ducere: quando enim ipſa nos irritat natura, non mirum eſt ſi ſæpè et avidè peccemus.

Tertiò, denique illa præſertim vitia neceſſe eſt examinationi ſubjicere, ſi quæ malorum hominum conſortio, et mundi infectione contraxiſti: hæc enim ferè omnium malorum et miſeriarum origo eſt.

Hæc ſunt, mi Frater, in quibus te præmonere neceſſarium duxi, ut poſthac cum proximè advenero, abſolutionem eccleſiæ, et euchariſtiam, non indignè recipias: interim ſi quæ difficultas tibi nunc occurrat, quæ in animo tuo ſcrupulum, aut graves cruciatus pariat; aut ſi in aliâ qualicunque re conſilio meo indigeas, paratus ſum officium tibi meum præſtare, et animæ tuæ quantum potero prodeſſe.

2 Formula. Dabis mihi veniam, amice, atque id paſtoralis officii genio aſcribes, ſi ego paulo inſolentius et ſeverius tecum agere videar, quam vel mores hodierni admittunt, vel tu fortaſsè à me expectes. Eſt illa generi humano penè inſita infœlicitas, ſibi ſemper

ſemper factiſque ſuis, ſeu benè, ſeu ſecus agant, favere et blandiri. Multi ſunt aliorum paraſiti, omnes verò ſui. Atqui hoc infortunium, in medio vitæ curſu, inter epulas et riſum tolerabilius foret; verum proh dolor! cum morituro ſupremus ducitur halitus, quanto cum animæ periculo vel ego tibi, vel tu tibi ipſi blandiaris, facilè quidem ſenties, ſi æternitatem ab hoc momento pendere, et ſeveram, omnium quæ in vitâ feciſti, rationem te jamjam redditurum memineris. Scias igitur coram horrendo Dei tribunali, non eum divinâ ſententiâ abſolutum iri, qui vitam ſine zelo frigidam, ſine ſudore negligentem tranſegit; nec immenſa cœli præmia exiguo labore comparanda; nec Deo quenquam fruiturum, qui ſimilis Deo perfectâ, ut ait Chriſtus, pietate non ornatur. Tu verò, Amice, ſolâ, ni fallor, pœnitentiâ, eâque gravi et ſeverâ, hanc perfectionem compararis.

HABES, benevole Lector, quæ mihi in mentem venerunt, dum de curâ infirmis debitâ meditarer: habes, ex ANSELMO et LAUDO digniſſimis Cantuar. Archiepiſcopis deſcriptas formulas interrogationum, quibus in fidem, et pœnitentiam infirmi utiliſſime fiat inquiſitio: habes etiam duas generales infirmos alloquendi formulas, quas ex amici mei (dum vixit) chariſſimi BENEDICTI SCROGGS, S.T.D. autographo, poſt immaturum illius obitum exſcripſi;--et ſi, quæ leviter in tranſcurſu attingantur, tu fuſius explicata volueris, conſulas oportet authores infra nominatos: ſatiùs enim duxi recenſere libros, in quibus ea copiosè et pro dignitate materiæ tractentur, quàm de eis prolixiùs diſſerendo, libelli molem et pretium augere.

Et. De Modo adjuvandi Infirmos poſſis, niſi fallor, inſequentes Libros cum Fructu conſulere.

Dr *Comber*'s Companion to the Temple, 4th Part, p. 73. in Folio, of Viſiting the Sick.

Dr *Taylor*, Biſhop of *Down* and *Connor*, his Holy Dying, chap. 5.

Bp *Laud*'s Summary of Devotions, de Viſitatione Infirmorum.

Bp *Andrews*'s Directions for Viſiting the Sick, at the end of his Devotions.

Biſhop of *Sarum*'s Paſtoral Care, p. 194.

Dr *Hammond*'s Death-bed Repentance, *in fine*.

Biſhop of *London*'s Epiſcopalia, Letter 3d, about Viſiting the Sick.

Mr *Kettlewell*'s Companion for the Penitent, and for Perſons troubled in Mind.

Tractatus *Johannis Polanci*, qui inſcribitur, Methodus ad eos adjuvandos qui moriuntur.

Practica

Practica Visitandi Infirmos, per *Jacobum Mancinum*, cum additionibus *Laurentii Cutilli*.

Bernardinus de Officio Curati, cum Annotationibus *And. Victorelli*, in cap. de Moribundis.

Jo. Getson, Cancellarius olim *Parisiensis*, de Arte Audiendi Confessiones.

Methodus Confessionis, per *Petrum de Soto*.

Directorium breve ad Confessarii et Confitentis Munus recte obeundum, Authore *Jo. Polanco*.

Reginaldi Praxis Fori Pœnitentialis.

Bail de Triplici Examine.

[Clergyman's Companion for Visiting the Sick.]

[Mr *Spinckes*'s Sick Man Visited.]

[Dr *Coney*'s Companion for a Sick Bed.]

[A Daily Office for the Sick.]

[Dr *Dodwell*'s Sick Man's Companion, or the Clergyman's Assistant in Visiting the Sick.]

De Neceſſitate Fidei.

Dr *Hammond*'s Practical Catechiſm, book 1. ſect. 3.
——— of Fundamentals.
Whole Duty of Man.
Homily.
Engliſh Expoſitors on the Creed.

De Articulis Fundamentalibus.

Dr *Hammond* of Fundamentals.
Chillingworth.
Turrentini Inſtitut. par. 1. lib. 1. q. 14.
Bp *Laud* againſt *Fiſher.*
Bp *Stillingfleet*'s Defence.
Aquinatis Secunda Secundæ, p. 2, and the Commentators on him.
Dr *Potter*'s Charity miſtaken.

De Natura, Neceſſitate, et Efficacia Pœnitentiæ conſuli poſſint qui ſequuntur Libri.

Whole Duty of Man.
Dr *Hammond*'s Pract. Catechiſm.
Limburgii Theologia Chriſtiana, lib. 5. cap. 14—16.
Curcellæi Inſtitut. Chriſtianæ Religionis.
Bp *Taylor*'s Unum neceſſarium.
—— Holy Dying, chap. 5. ſect. 3.
—— Grand Exemplar, part 2. d. 8.
—— Ductor Dubitantium.
Ketlewell's Meaſures of Chriſtian Obedience.
All Writers on the Lord's Supper.
Dr *Pain* of Repentance.

De ſui Examine conſulantur.

Bp *Taylor*'s Holy Living, chap. 2.
—— Holy Dying, chap. 2. ſect. 2.
All Writers concerning the Lord's Supper.

Mr

Mr *Bolton.*
Method of private Devotion.

Quoad Vitiorum Catalogum conſuli poſſint dum accuratius aliquis edatur.

Brief Heads of Examination, at the end of the Whole Duty of Man.
Heads of Examination, at the end of the Common Prayer the beſt Companion.

De Interrogationibus Infirmo faciendis conſulatur in primis.

Jo. Kettlewell's Companion for the Penitent, before mentioned.

De Confeſſione Paſtori facienda.

Bp *Taylor's* Holy Dying, c. 5. ſ. 3.
Anonymous Treatiſe of the Confeſſion of Sin, *Lond.* 1657.
Jo. Forbeſii Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. lib. 12. c. 5.
Primate *Uſher* againſt *Malone.*

De Reſtitutione conſulere poſſis Libros ſequentes.

Ameſius de Caſibus Conſcientiæ.
Limburg.
Curcellæus.
Kettlewell's Meaſures of Chriſtian Obedience.
Whole Duty of Man.
Engliſh Commentators on the Eighth Commandment.
Azorius, Filiucius, Navarrus, Toletus, and other Popiſh Caſuiſts.

De Offenſarum Remiſſione.

Bp *Stratford* againſt Revenge.
Epiſcopius.
Bp *Taylor's* Grand Exemplar, part 2. diſ. 10.
Dr *Hammond's* Pract. Catechiſm, book 2. ſect. 59.
Ameſius de Caſibus Conſcientiæ.
Engliſh Commentators on the Lord's Prayer.
All Writers on the Sacrament.

De

De variis Animi Angoribus.

Dixon's Therapeutica Sacra.

Bowles de Paſtore Evangelico, lib. 2. cap. 18. 29, 30.

Kettlewell's Companion for Perſons troubled in Mind.

Mr *Bolton*'s Directions for comforting the afflicted Conſciences.

Nicholai Hemingii Tractatus, cui titulus, Paſtor, ſive Paſtoris Optimus Vivendi Agendique Modus, *Genevæ*, 1579. pag. 131, et deinceps.

Sacræ Scripturæ Textus juxta varias Infirmorum Neceſſitates ad varias Claſſes reducuntur, et collecti extant in Libris qui ſequuntur.

Go in Peace.

Kettlewell's Companion for the Penitent.

Bp *Andrews*'s Directions for the Viſiting the Sick.

Precum Formulæ variis Caſibus aptatæ peti poſſint ex Libris ſequentibus.

Bp *Patrick*'s Devotions.
Kettlewell's Death made comfortable, or the Way to die well.
——— Companion for the Penitent.

De Patientia conſulantur.

Bp *Taylor*'s Holy Dying, chap. 3, 4.
Whole Duty of Man.
Bp *Patrick*'s Heart's Eaſe.
Art of Contentment.

De Morte et ejus Contemptu.

Dr *Sherlock*'s Practical Diſcourſe of Death.
Bp *Taylor*'s Holy Dying, chap. 3, ſect. 7, 8.
Heinſius de Contemptu Mortis.
Mornæi Chriſtiana ac Pia Conſideratio Vitæ Mortiſque.

De Odio Peccatorum, et Dolore de eis.

Bp *Taylor*'s Unum Neceſſarium.

De Euchariſtia.

Bp *Patrick*'s Menſa Myſtica.
Bp *Taylor*'s Worthy Communicant.
——— Grand Exemplar, p. 3. diſ. 18.
Mr *Kettlewell*'s Exhortation to frequent Communicating.
Heſketh.
Bp *Kidder.*
Dr *Towerſon.*

De Peccatis ex Infirmitate.

Bp *Taylor*'s Unum Neceſſarium.
Hoard's Soul's Miſery.
Dr *Hammond* of Sins of Weakneſs and Wilfulneſs.

Kettle-

Kettlewell's Measures of Obedience, book 4.

Rectæ de Deo Apprehensiones docentur, et arguuntur falsæ in Lib. sequent.

Dr *Scott's* Christian Life, P. 2. c. 6. Decay of Piety.

De Presumptione.

Bp *Saunderson's* Sermon on Psalm XIX. 13.
Hoard's Soul's Misery.
Bp *Taylor's* Holy Dying, c. 5. s. 5.

De Absolutione.

Dr *Hammond's* Power of the Keys.
Bp *Usher* against *Malone.*

18 JY 64

Contra immoderatum Luctum ob Infirmitatem aut Mortem Amici.

Seneca de Consolatione.
Bp *Patrick's* Heart's Ease.

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC

TRACTATU

EXHIBENTUR.

RATIO, Scopus, et Diſtributio Operis, *pag.* 1. *ad pag.* 4

Regulæ de eis quæ Paſtor præſtare debeat, ut poſſit officia infirmis debita utiliter exequi, *p.* 4. *ad p.* 33

Regulæ de eis quæ erga ipſos Ægrotos inter viſitandum præſtari convenit, *p.* 33. *ad p.* 52

Regulæ de eis quæ Paſtor debeat monere illos qui Ægrotis aſſident aut miniſtrant, *p.* 52. *ad p.* 58

Regulæ pro Viſitatione eorum qui Paſtori parum noti ſunt, *p.* 58. *ad p.* 62

Regulæ pro Viſitatione eorum qui ſuis animis laborant, *p.* 62. *ad p.* 70

Regulæ pro Viſitatione eorum qui convaleſcere inceperint, *p.* 70. *ad* 76

Regulæ

Regulæ pro Visitatione eorum qui ad perfectum rationis usum nondum pervenerunt, *p.*76. *ad p.*85

Regulæ de modis adducendi infirmos ad justum suorum delictorum sensum, et ubi fuerit necessaria ad eorum confessionem, *p.*85. *ad p.*103

Duæ generales formulæ alloquendi infirmos, ex reverendi viri Benedicti Scroggs, S. T. D. autographo post immaturum illius obitum exscriptæ, *p.*103. *ad p.*108

Catalogus Authorum qui fuse differant de aliquibus quæ in ipso tractatu obiter solum, et æquo parcius notata sint, *p.*109. *ad finem.*

FINIS

18 JY 64